DE EPICO

APUD JOANNEM MILTONIUM

VERSU

THESIM

Proponebat Facultati Litterarum Universitatis Parisiensis

W. THOMAS

COLLOQUIORUM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM
UNIVERSITATIS REDONICAE

LUTETIAE PARISIORUM

HACHETTE, Bibliopola, In Via dicta Boulevard St-Germain, 79

—

1901

DE EPICO
APUD JOANNEM MILTONIUM
VERSU

DE EPICO

APUD JOANNEM MILTONIUM

VERSU

THESIM

Proponebat Facultati Litterarum Universitatis Parisiensis

W. THOMAS

COLLOQUIORUM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM
UNIVERSITATIS REDONICAE

LUTETIAE PARISIORUM
HACHETTE, BIBLIOPOLA, In Via dicta Boulevard St-Germain, 79

1901

Viro Eruditissimo

Et de Re Metrica Anglorum Optime Merito

Alexandro BELJAME

In Facultate Litterarum Universitatis Parisiensis Professori

GRATI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

W. Thomas

PARS BIBLIOGRAPHICA

A

ABBOTT (E. A.). — A Shakespearian Grammar. New edition. — London, Macmillan, 1883, 1 vol. in-8°.

ANGLIA (editore R. Wülker). — Halle, in-8°, vol. IV, I (1881).

B

BARET (Ad.). — Etude sur la Langue Anglaise au XIVe siècle. — Paris, Léopold Cerf, 1883, 1 vol. in-8°.

BELJAME (Al.). — Alfred Lord Tennyson, Enoch Arden, Texte Anglais publié avec une notice, etc., une étude sur la versification du poème, etc., 4e édition. — Paris, Hachette, 1898, 1 vol. in-12.

BLANC (L. G.). — Grammatik der Italienischen Sprache von Dr L. G. Blanc. — Halle, C. A. Schwetscke, 1844, 1 vol. in-8°.

BREWER (R. F.). — Orthometry, a Treatise on the Art of Versification and the technicalities of poetry, etc. — London, C. W. Deacon, 1893, 1 vol. in-8°.

BRIDGES (Robert). — Milton's Prosody, An Examination of the Rules of the Blank Verse in Milton's later poems, etc. — Oxford, Clarendon Press, 1894, 1 vol. sm. in-8°.

C

CONWAY (G.). — A Treatise on Versification. — London, Longmans, Green, 1878, 1 vol. in-8°.

CORSON (Hiram). — A Primer of English Verse chiefly in its aesthetic and organic Character. — Boston, Ginn and C°, 1892, 1 vol. in-8°.

COWPER (Wm.). — The Life and Letters of W. Cowper edited by Wm. Hayley. — London, Baldwin, etc., 1824, in-8°.

D

DRYDEN (John). — The Poetical Works of J. Dryden, edited with a memoir, revised text and notes by W. D. Christie, M.A., etc. — London, Macmillan, 1894, 1 vol. in-8°.

E

Elton (Ol.). — Milton, Comus edited with notes by O. E., etc. — Oxford, Clarendon Press, 1896, 1 vol. in-8°.

Elwall (A.). — Nouvelle Prosodie Anglaise (Versification). — Paris, Delalain (sans date), broch. in-8°, 56 p.

Evans (Rev. R. W.). — A Treatise on Versification. — London, F. and J. Rivington, 1852, 1 vol. in-8°.

F

Fortnightly Review (The), edited by J. Morley. — London, Chapman and Hall, vol XVI, New Series (July-Dec., 1874).

G

Giornale Storico della Letteratura Italiana. — Torino, E. Loescher, 1898, anno XVI°, vol. XXXII, fasc. 1-2.

Gray (Thomas). — The Works of T. G. edited by E. Gosse. — London, Macmillan, 1884, in-8°.

Gröber (G.). — Grundriss der Romanischen Philologie. — Strassburg, K. J. Trübner, 1893, 2er Band, 1ste Abteilung : Romanische Verslehre von Edm. Stengel.

Guest (Ed.). — A History of English Rhythms. A new edition by the Rev. W. W. Skeat. — London, Geo. Bell, 1882, in-8°.

H

Home (Henry, Lord Kames). — Elements of Criticism (the 7th edition). — Edinburgh, Printed for J. Bell and Wm. Creech, and for T. Cadell, G.G.J. and J. Robinson, London, 1788, 2 vol. in-8°

K

Keightley (Thomas). — An Account of the Life, Opinions and Writings of J. Milton with an Introduction to Paradise Lost. — London, Chapman and Hall, 1855, in-8°.

L

Legouis (Em.). — Quomodo Edmundus Spenserus ad Chaucerum se fingens in eglogis « The Shepheardes Calendar » versum heroicum renovarit ac refecerit. — Paris, G. Masson, 1896, 1 vol, in-8°.

Letters concerning Poetical Translations and Virgil's and Milton's Arts of Verse, etc. — London, Printed for J. Roberts, etc., 1739, in-8°.

M

Mayor (J. B.). — Chapters on English Metre. — C. J. Clay and Sons, Cambridge University Press, 1886, in-8°.

Milton (John). — The Poetical Works of J. M., edited by Sir E. Brydges, Bart., a New Edition (undated). — London, Wm. Tegg.

Milton (John). — The Poetical Works of J. M., edited with Memoir, Introduction, Notes and an Essay on Milton's English and Versification by David Masson, M.A., LL.D., Historiographer Royal for Scotland, Professor of Rhetoric and English Literature in the University of Edinburgh. — London, Macmillan and C°, 1893, 3 vol. in-8°.

[Milton, John]. — A Maske presented at Ludlow Castle, 1634... London, Printed for Humphrew Robinson at the sign of the Three Pidgeons in Pauls Churchyard, 1637 [Br. Mus. : C 34 d 46].

[Milton, John]. — Justa Edovardo King naufrago ab amicis moerentibus amoris et *μνείας χάριν* — Cantabrigiae, 1638. Apud Thomam Buck et Rogerum Daniel [Br. Mus. : 239 k 36].

Milton (John). — Paradise Lost as originally published by J. M., being a facsimile reproduction of the 1st edition with an Introduction by David Masson, M.A., LL.D. — London, Elliott and Stock, 1879, 1 vol. in-4°.

Milton (John). — Paradise Lost in Ten Books. The Text exactly reproduced from the 1st edition of 1667, etc. [by R.H.S.]. — London, Basil Montagu Pickering, 1873.

Motheré (J.). — Les Théories du Vers héroïque anglais et ses Relations avec la Versification française. — Paris, Al. Picard, 1886, in-8°.

O

Ovidio (Francesco d'). — Dieresi e sineresi nella poesia italiana da F. d'O. [nei Atti della reale Accademia di Scienze Morali e Politiche]. — Napoli, 1891, vol. XXIV.

R

Rost (W.). — Die Orthographie der ersten Quartoausgabe von Milton's Paradise Lost. — Leipzig, Dissert. in-8°, 1892.

S

Schipper (Dr J.). — Englische Metrik in historischer und systematischer Entwickelung dargestellt, etc. — Bonn, Emil Strauss, 1881-88, 3 vol. in-8°.

Sheridan (Thomas). — Lectures on the Art of Reading. — London, J. Mawman, Poultry, Longman, etc., 6 th edition, 1805, in-12.

Sidney (Sir Philip). — An Apologie for Poetrie by Sir P.S., edited by E. S. Shuckburgh, M.A., etc. — Cambridge, University Press, 1891, in-8° [first printed in 1595].

Spiers (A.). — Traité de Versification anglaise, etc., dernière édition. — Paris, Hachette, 1874, broch. in-12, 96 p.

Symonds (J. A.). — Blank Verse. — London, J. C. Nimmo, 1895, in-8°.

T

Ten Brink (Bernhard). — Chaucer's Sprache und Verskunst dargestellt von B.T.B. — Leipzig, T. O. Weigel, 1884, in-8°.

Tobler (Ad.). — Le Vers français ancien et moderne, par M. A. T., etc. Traduit sur la 2e édit. allemande par K. Breul et Leopold Sudre, avec une préface par M. Gaston Paris. — Paris, F. Vieweg, 1885, in-8°.

V

Verrier (Paul). — Notions simplifiées de Versification anglaise, par P. V., etc. — Paris, Ch. Delagrave, 1891, broch. in-8°, 38 p.

W

Witcomb (C.). — On the Structure of English Verse, by C. W. — Paris, Mesnil Dramard et Cie, 1884, in-12.

INDEX VERBORUM

Adjuncta (Verba ad nomen).	Epithètes.
Anapaestus.	Anapeste, pied formé de deux atones suivies d'une tonique (p. ex. *recollérct).*
Arsis.	Temps faible (un).
Caesura.	Césure, forte coupe d'un vers.
Clausulae versuum inter se consonantes.	Rimes (les).
Coitus syllabarum.	Réduction de deux syllabes à une par syncope (p. ex. *murm'ring* pour *murmuring)* ou crase *(fly͡ing* pour *flying).*
Concurrunt aspere vocales.	Il y a hiatus.
Consonantia.	Consonance.
Dactylus.	Dactyle, pied formé d'une tonique suivie de deux atones (p. ex. *béautiful).*
Hypercatalecticus versus.	Vers hypermètre.
Iambus.	Iambe, pied formé d'une atone suivie d'une tonique (p. ex. *assíst).*
Iambicus motus vel tenor.	Le mouvement iambique.
Incisio, incisum.	Incise (une).
Intermissio.	Pause (une), coupe légère d'un vers.
Interspiratio.	Coupe d'un vers (une).
Numerus.	Rythme.
Numerum non referuntur (Syllabae quae in).	Syllabes redondantes, p. ex. à la césure : « Him or his chil *(dren)* — evil, he may be sure.» (P. L. XI, 772).

Paromoeon.	Allitération.
Pentametri iambici extremorum verborum simili sonitu carentes.	Pentamètres iambiques non rimés.
Poesis fabulosa — velut fabulis contexta poesis.	Poésie romanesque.
Pyrrhichius.	Pyrrhique, pied formé de deux atones (p. ex. socí*ety).*
Similes sonitus extremorum verborum.	Rimes.
Spondaeus.	Spondée, pied formé de deux toniques (p. ex. *fúll moón).*
Tenor ou tonus.	Accent tonique.
Tonus validior.	Un accent plus fort.
Thesis.	Temps fort (un).
Trochaeus.	Trochée, pied formé d'une tonique suivie d'une atone (p. ex. *háppy).*
Versus ex ordine dispositi qui similiter omnes cadunt.	Laisse assonancée (une).
(Similiter cadentia).	(Assonancés, finales ayant même consonance).
Versus qui tantum simili extremorum verborum sonitu carent.	Vers blancs.

De Epico apud Joannem Miltonium[1] Versu

QUAESTIONUM EXPOSITIO

Qui post saeculum septimum decimum apud Anglos heroico usi sunt versu artem suam apud Miltonium didicerunt nec potest negari Eduardum Young, Guglielmum Cowper, Guglielmum Wordsworth et Alfredum Tennyson ejus fuisse discipulos. Quanquam vero magnam in re metrica Miltonii auctoritatem nemo non agnoscit, de interpretatione legum quibus, in versibus scribendis, obtemperaverit, multi adhuc certant. Verborum enim hodierna prolatio a prisca Britannorum saepe discrepat, recentioresque poetae cum trisyllabis pedibus diversa mirandaque et ab usu veterum abhorrentia in versificationem introduxerunt; qua de causa nonnulli hoc tempore, cum novae versuum rationi faveant, eandem apud priscos poetas invenire conantur. Quibus si crederes litterarum peritis diceres Miltonium ut auribus nostris blandiretur scripsisse, nedum traditas heroici versus leges servaret; aequalesque nostri sibi jus arrogant metrum Paradisi Amissi legere secundum hodiernam diversamque verborum britannicorum prolationem, neglecta praeteriti aevi prolatione.

Quae modo summatim exposuimus recentes critici affirmant, cujus inter magistros indicamus Carolum Witcomb apud Gallos, apud Anglos praecipue David Masson, doctum Miltonii interpretem. Hic enim versus omnes vel Chauceri tempore conditos recentissimo more recitandos esse[2] contendit et solam, in scan-

1. Sic ipse vates nomen suum latine scribit in chirographo quod Londinii in aedibus dictis British Museum servatur.

2. Vide The Poetical Works of J. Milton, edited by D. Masson, London, Macmillan, 1893, vol. III, p. 215 : « On the whole it is best to assume that strictly metrical effects are pretty permanent, that what was agreeable to the English metrical sense in former generations is agreeable now, etc. »

dendo metro heroico, adhibendam esse prolationem lentam distinctamque eruditorum qui vulgare esse putant syllabas vel omittere vel contrahere pronuntiando. Auctore igitur David Masson, ut syllabarum coitus elisionesque a doctorum prolatione excluduntur, ita coitus elisionesque apud priscos poetas agnoscere non licet.

Criticis vero qui hodiernam artis metricae rationem optimam esse affirmant opponuntur discipuli illius scholae quae traditam veterum rationem servat priscaque poemata ita esse legenda profitetur ut quiddam appareat interfuisse inter priorum poetarum conata diversaque recentissimorum opera. Qui sic sentiunt viri praecipue litterarum historiae student, sed accidit ut paucissimi apud Anglos cum illis stent inter quos doctissimus vir E. A. Abbott saepius nobis laudandus erit, quippe ejus libelli de versificatione apud Anglos saeculo sexto decimo usitata nonnihil bonae frugis nobis conferant.

Galli vero Germanique diversos versus varios apud populos inter se comparaverunt : minime igitur mirum esse videbitur quod longe alia atque Angli de re metrica et de epico Miltonii versu censuerint. Angli enim credunt poetam epos suum sine lege certa scripsisse [1], Germani vero et Galli opinantur Miltonium a prioribus poetis metrum quod adhiberet accepisse et ita erudivisse ut versus ejus posteris exemplo esse posset.

Quarum sententiarum altera nobis eligenda erit. Quaeremus utrum eandem atque aetatis nostrae versuum rationem Miltonius secutus sit, an ipse opus Chauceri, Spenseri et Guglielmi Shakespeare continuaverit ac versum heroicum sibi traditum esse crediderit non solum a prioribus Britanniae poetis sed etiam ab illis qui apud Italos Gallosque heroicas civium suorum res gestas cecinerunt. Quod cum nemini liceat ex abrupto asseverare, ipsa Miltonii epica poemata perscrutari oportebit. Quinetiam antea oportet et leges heroici versus apud Gallos Italosque exponere et prima ejusdem artis apud Anglos conata ut pateat Miltonium ex his initiis metrum epicum perfecisse.

1. Cf. Masson, op. cit., vol. III, p. 212 : « Milton... but obeyed the mood of his thought and the instinct of a musical ear as perfect and fastidious as was ever given to man. »

CAPUT PRIMUM

DE PENTAMETRIS APUD GALLOS MEDIO AEVO ET APUD ITALOS USITATIS

Cum de origine decasyllabi versus apud Gallos multi et doctissimi adhuc certent, neglectis variis hac de re conjecturis, nobis ad posteriora pergere liceat. Sufficit enim hoc metrum in vulgo dictis « chansons de geste » adhibitum esse circa undecimum post Christum natum saeculum legibusque regi certis quas exponere possumus. Inter quas haec maxime praestat quae fert heroico versui semper decem quas computes syllabas inesse debere ut plane nomini suo congruens decasyllabus esse videatur. Poetae vero, cum syllabas sola aure nec secundum veterem aut doctam ullam scribendi rationem numerarent illam neglegere consueverant syllabam quae post decimam tenorem non habebat vel ante caesuram unde versus hypercatalecticus fieret aut caesura exstaret quam epicam vir eruditissimus Diez appellavit, ut in illis :

« Carles en ad e dulur et pesan*ce*
De vers la tes*te* sur le cœur li descent »
(Chanson de Roland).

Hanc vero syllabam apud Gallos solam esse oportebat nec duas vel finiente versu vel post caesuram tolerabant.

Sed cum syllabarum numerus, his tantum exceptis, justus semper integerque appareat, multum interest ut indicemus qua ratione apud priores Gallorum poetas syllabae numerentur, etsi potius fortasse ad ipsam linguae quam metrorum artem spectat. Breviter igitur ab opere doctissimi viri A. Tobler[1] quod sequitur cum exemplis sumemus :

1. Hoc opus gallice dicitur : A. Tobler. — Le Vers français ancien et moderne, F. Vieweg, Paris, 1885. »

1° Illae vocales, inter quas consonans littera prius insita in gallica lingua cecidit, numerantur diversis in syllabis, ut « pri/a, ou/ïr, jou/er. »

2° Quae vocales in latina lingua alii contingebant, sed apud Latinos diversis in syllabis numerabantur, eundem apud Gallos syllabarum numerum servant, nisi prior vocalis gravius mutata sit, ut « provinci/al, pati/ent, nati/on, at janvier. »

3° Quae vocales contiguae in gallica lingua a simplice apud Latinos vocali oriuntur in unam syllabam apud Gallos coeunt, ut « bien, pied, miel. »

4° Quae vocales contiguae a consonanti littera quadam vocali subjecta in lingua latina oriuntur semper (etsi a tribus vocalibus) apud priores Gallos in unam syllabam coeunt, ut « fruit, mieux, cieus. »

Muta vocalis *e* in fine verborum cum apud priores Gallos alteri vocali et aliquandiu cum literae *h* gallice dictae « aspirée » occurrit, elisione abscinditur, ut

« Je ne ferai fors courre. — Or va. » [Théâtre franç. du Moyen-Age (Monmerqué et Michel, 1839), p. 110].

« Les sermons et l'église anter » [Renart le Nouvel, v. 5150][1].

Eodem modo verba « ma, ta, sa » et nonnunquam relativum et interrogans pronomen « qui » ante vocalem abscinduntur. Quinetiam in quibusdam neglegentius scriptis poematis, vocales plures duabus unam in syllabam coire possunt, ut

« Sour un estang, d'aige i avoit a fuison. »
(Aliscans, v. 13).

Neque in priore gallica lingua hiatus poetae plus vitare solebant quam medio in verbo aequales nostri.

Hactenus de syllabarum numero : jam nunc de caesura decasyllabi versus agemus. Quae epico in metro plerumque ponitur post syllabam quae quarta numeratur [2]. Rarior alia post sextam et quae tonum habet syllabam invenitur, cui quoque syllaba subjici

1. Qui versus octo solum habent syllabas.

2. De syllaba quinta quae, tono carens, potest pro nihilo computari vide quae modo disseruimus.

potest quae tenore caret, dummodo in numerum non adscribatur, ut puta :

« En une cambre en entre/de marbre bis »
(Aiol, v. 2146).

Insolentior vero caesura post quintam syllabam cum tonum habet, vel cum caret tenore sed refertur in numerum, poni potest; quam saepius videbis in carmine Lyricam etiam caesuram, quae post quartam ac tenore carentem syllabam ponitur, rarius invenies in epico poemate, cui, sicubi inseritur, velut neglegentia argui potest, ut puta :

« Ma promesse/m'est tournée à faillir. »
(Maetzner, Altfranz. Lieder III, 11).

Perpauci denique sine ulla caesura versus reperiri possunt [1] a quibus poetarum usus abhorrebat. Verum inter decasyllabum apud priores Gallos et eundem apud ceteros latinae stirpis populos usitatum versum hoc solum interest quod Galli eodem in poemate unam non amplius caesuram adhibent, quam vel post sextam vel saepius post quartam et tenore distinctam syllabam ponunt.

Quod ad tonum attinet nemo, ut videtur, apud ullam omnino gentem romanae stirpis ita verborum tono uti voluit ut hac ratione sola versus scriberet. Sed cum in plerisque gallicae linguae verbis ultimae tonum habeant syllabae ipsa rerum natura fit ut praevaleat iamborum motus in decasyllabo metro quod anglici poetae suum in sermonem introducere conati sunt. Quod comprobavit verum esse vir egregius Motheré perscrutatus nonnullorum priscae Galliae poetarum versus [2] et in primis Guglielmi de Machault quem Chaucerus sibi in re metrica imitandum proposuit. Nos autem in vetere Gallorum versificatione has leges certas invenimus : in decasyllabo decem semper computantur proferunturque syllabae; binorum vicinorum versuum clausulae sonitu extremorum verborum congruunt, vel plures versus similiter cadunt; eodem denique in poemate caesurae, post tonum quemdam saepissime sitae, eidem versus loco constanter adhaerent.

1. Cf. Roman. VII, p. 334, ubi vir eruditissimus G. Paris de poemate dicto Auberon disserit.

2. Cujus cf. opusculum quod inscribitur « Les théories du Vers héroïque anglais et ses relations avec la versification française ». Paris, Alph. Picard, 1886, pp. 33-36.

Docti autem, ut modo diximus, adhuc disputant utrum hoc decasyllabum metrum fons fuerit et origo epici apud Italos metri necne. Unum tamen, quod nobis disserentibus satis est, constat : epicum Itali versum a poetis Provinciae quam Romani Narbonensem vocabant, mutuati sunt, et prius natus est apud Gallos septentrionales epicus decasyllabus quam suus apud Italos hendecasyllabus. Neque negari potest hendecasyllabum illum nihil aliud esse quam gallicum versum cui una additur syllaba decimae subjecta ac tono carens. Quod italicum metrum, cum plurima ad epicum Anglorum metrum informandum contulerit, necesse est ut scrutemur ; breviter igitur ejus leges exponemus. Plerisque italicae linguae verbis tono in paenultima syllaba distinctis, ipsa rerum natura factum est ut gallicus decasyllabus sit apud Italos hypercatalexi auctus [1]. Hunc versum epicis in poematis quae Dans Alighieri posterioresque scripserunt et in tragoediis reperimus ; qui « verso piano » ab Italis vocatus, ex undecim syllabis constat, ut hic :

« L'opinione, mi disse, dei mortali. »
(Dans, Par. II, 53).

Licet autem, ut apud Gallos, syllabam tenore carentem in fine hendecasyllabi et post undecimam ponere, ita ut metrum exstet quod « verso sdrucciolo » (i. e. lubricus) nominatur, exempli gratia :

« Che noi possiam nell'altra bolgia scendere. »
(Id., Inf., XXIII, 32).

Quinetiam, quo melius appareat fratres germanos revera esse gallicum et italicum versus, syllaba undecima, quam tono carere docuimus, potest nonnunquam abesse ab hendecasyllabo illo [2] qui decasyllabus (ab Italis « verso tronco ») proprie et plane dici potest, ut puta :

« Lo ciel perdei, che per non aver fè. »
(Id., Purg., VII, 8).

1. Vide « Grammatik der Italienischen Sprache, von L. G. Blanc, 1844, p. 685. »
2. Tales autem versus nunquam reperiuntur apud curiosum poetam (Tasso utemur exemplo).

Sed, si memineris quam pauca sint apud Italos (ipsa rerum natura) verba tono terminata, libenter nobiscum colliges talia exempla, quamvis rara, probare unum eundemque versum esse quem Galli decasyllabum, hendecasyllabum Itali vocant.

Caesura vero, quae apud septemtrionales Gallos eundem in poematis singulis locum obtinebat, apud Italos mobilis fit. Versus enim caesura post quartam syllabam distinctos cum versibus post sextam distinctis Galli in uno eodemque poemate nunquam miscebant, miscent semper Itali. Quibus mixtis ante Italos Galli, qui provinciam a Romanis dictam Narbonensem incolebant lyraeque praecipue studebant, utebantur, primique Italorum heroici versus in carminibus inveniuntur [1]. Licentiae vero nonnullae mox in metro admissae sunt. Pro caesura italico in versu nonnunquam tenuem intermissionem animadvertimus. Tonum quoque ante caesuram vel intermissionem loco mutare licet, neque oportet hunc tonum in finem verbi alicujus cadere nec potest syllaba quae ante caesuram tenorem non habet e numero syllabarum computandarum omitti. Semper enim cum aliis computatur ut in versu :

« Al tornar della men/te che si chiuse. »
(Id., Inf., VI, 1).

Unde fit ut apud Italos prius hemistichium « tronco » dicatur, eodem modo ac ipse versus [2], si tonus in ultimam syllabam cadat ante caesuram, ut puta :

« E pien di fè,/di zelo, ogni mortale. »
(Ger. Lib. I, 63).

Dicitur autem « piano, » sicubi tonus caesuram praecedens incidit in paenultimam syllabam, ut puta

« Che'l gran sepolcro/liberò di Cristo. »
(Ger. Lib., 1, 2).

1. Cf. haec a Fr. d'Ovidio dicta in opere quod inscribitur « Giornale Storico della letteratura italiana, Torino, 1898, vol. XXXII, fasc. 1-2, p. 45 : « piuttosto lirica fu la prima funzione dell' endecasillabo nostro... »

2. Cf. quae modo disseruimus de versu quem Itali « tronco » vocant.

Prius denique hemistichium dicitur « sdrucciolo » sicubi tonus caesuram praecedens in antepaenultimam syllabam cadit, ut puta

« S'accordan le dolcíssime/parole. »

Hujus vero generis caesuram docti saepe prohibuerunt et raro invenies. Plerumque caesura heroicum versum in duas scindit partes neque ipsa ante tertiam nec post octavam prolatam occurrit syllabam. Nec post nonam syllabam caesuram ponere licet, etsi nova nonnunquam tono distinguitur, ut in versu :

« Che quel imperator che lassù regna. »

Italica igitur poesis solvitur strictis legibus quod ad caesuras attinet.

Item quod ad tenorum dispositionem spectat : tonus enim mobilem sequitur caesuram neque in metro primas sustinet partes. Satis enim est, cum ipso Dante [1], prolatas numerare syllabas, solaque in versu illo constat lex quae jubet decimam syllabam tono distingui. Attamen cum saepius caesura vel post quartam vel post sextam quae tenorem habet ponatur, rerum natura heroicum apud Italos metrum iambis expletur neque unquam quinque trochaeos accipit. Poetam igitur litterarum periti hortantur ut metri tonum in eandem syllabam ponat ac verborum tonum quem, si res postulabit et de praecipua agetur caesura, potius loco mutabit ut iambicus servetur motus, sicut in versu :

« Che la mia Commedía [pro consueta prolatione « Commédia »]
cantar non cura. »

Sic enim priores poetae verbi tonum nonnunquam in vicinam syllabam transferendo *umíle* pro *úmile* et *soddisfára* pro *soddisfarà* dicebant, quod, nisi iisdem in vocabulis, recentioribus poetis non licet [2].

Attamen heroicus Italorum versus trochaeos, dummodo non plures duobus continuis habeat, vel initio versus recipit, ex. gr. :

1. Cf. quod dicit in opusculo De Vulgari Eloquentia II, c. 5 : « Nullum adhuc invenimus carmen in sillabicando endecasillabum transcendisse. »

2. Quod monosyllabis versum claudentibus fieri potest : ita Dans Alighieri scribit (Inf. XXX, 87) *nón ci ha* [pro *nón ci há* duobus cum tonis] ut versus clausula cum aliis verbis *oncia* et *sconcia* consonet.

« Hái di stélle immortali aurea corona. »
(Ger. Lib. I, 12).

vel post caesuram, ex. gr. :

« Anche di qua/ núova schiéra s'aduna. »
(Dan. Inf., III, 120).

Quae altera poetarum licentia rarius apud Tassum reperitur cum huic ipsi semper studeat ut iambus suo in versu dominetur.

Numero igitur syllabarum heroicum apud Italos metrum perficiente, multum interest nostra scire quas oporteat syllabas computare. Omnes referuntur in numerum quae nec syllabarum coitu delentur neque elisione, nullam vero, sicut apud priores Gallos, prolatam sed tono carentem syllabam ante caesuram in numerum non adscribere licet. Duae quoque continuae vocales vel medio in verbo vel in fine verbi (etsi singulae in soluta exprimi solent oratione) in unam versus syllabam coeunt [1], ex. gr. :

« Cosi all' egro fanciul porgiamo aspersi. »
(Ger. Lib. I, 21).

« Ch' io cominciai come persona franca. »
(Inf., II, 132).

nisi ipse poeta continuas vocales in duas syllabas refert, ut :

« Vid 'i/o scritti al sommo d'una porta. »
(Inf., III, 11).

Quod vero elisionem vocamus tum notabis cum vocalis quaedam in fine verbi vocali proximae ineuntis verbi concurrit, etiamsi verbum quoddam e sola vocali perfectum interponitur. Cunctæ enim vocales distincte audiri poterunt, sed in unam quam numeres versus syllabam coibunt, ut :

« La noja e il mal della passata via. »
(Ger. Lib. III, 32).

Attamen, si nolit poeta, vocales non coeunt et, cum tonum habet prima illarum, singulae fere semper numerantur, ex. gr. :

« Così tutta la gente che lì era. »
(Purg., XXIV, 67).

1. Quod vero non fit si coitus vocalium aures laedit, ut in : Abra/am, sa/etta, neque in verbi initio cum in secundam vocalem tonus incidit, ut in : aita, aereo.

Hic quoque laxa lege vates utitur.

Nobis denique verae poetarum licentiae notandae sunt quae apud Italos viguerunt. Verba nonnunquam mutilare licet ita ut scribas *rena* pro *arena*, *e* pro *egli*, mediam delere syllabam quae tenorem non habet, ita ut *spirto* dicas pro *spirito*, *medesmo* pro *medesimo*, syllabamque, etsi insolentius, verbo cuidam adjicere quomodo *naturalemente* possis scribere pro *naturalmente*, et *suso* pro *sù*, vel, ut melius inter se versuum clausulae consonent, vocalem verbi ultimam et tono carentem mutare, ita ut *membre* pro *membra* stet (sicut apud Dantem, Inf. XXIX, 51) consonantemque media in syllaba loco movere ita ut *drento* pro *dentro* substituas et sub versus fine primas locare verbi syllabas, reliquis in initium sequentis versus sepositis, exempli gratia :

« Così quelle carole, differente-
mente danzando
(Par., XXIV, 16).

« Fece la donna di sua man le sopra-
vesti a cui l'arme converrian più fine. »
(Orl. Fur., XLI, 32).

Plurimis igitur licentiis fruuntur Italici poetae, quas imitari voluisse Miltonium nobis minime mirum videbitur : namque italica exemplaria studiosissime versatus est.

CAPUT SECUNDUM

DE VERSU DECASYLLABO APUD ANGLOS ANTE MILTONIUM

Etsi incipiente quarto decimo post Christum natum saeculo scriptos versus decasyllabos invenis in carminibus a docto viro J. Schipper circumspectis [1] pro certo habetur Gothofredum Chaucer primum decasyllabis in poemate longo usum esse : opus enim suum quod inscribitur The Compleynte to Pitee circa annos 1370-72 condidit. Quo in poemate metrum a Gallo Guglielmo de Machault [2], ut criticis videtur, mutuatus caesuras varias minus quam postea adhibuit. Attamen in Italia annis post Christum natum 1372-73 ac praesertim 1378-79 peregrinatus, cum legisset Dantis epos carminaque Joannis Boccaccio et Francisci Petrarca quem anno 1373 fortasse apud Patavium convenit, nullum scripsit praeter heroicum versum [3], in quo italicam libertatem imitatus est. Qui versus, si experto credis Ten Brink, decem semper numerat syllabas, cum in ultimam tonus incidit, vel undecim, si post tonum syllaba adjicitur quae tenorem non habet, neque ipse Ten Brink iis assentitur qui vel syllabam tenore carentem ineunte metro omitti posse fingunt, vel duas hujus generis syllabas cum syllaba tonum habente in unum pedem introduci, vel syllabam apud Chaucerum inveniri quam, cum ante caesuram tenore caret, in numerum non referas [4]. Etsi quoque poeta nunc caesuras more

1. Vide opus quod inscribitur Englische Metrik, etc., von Dr J. Schipper, Bonn, 1881, vol. I, pp. 436-42, et cf. doctum Ten Brink (Chaucer's Sprache und Verskunst, 1884, pp. 173-75.

2. Doctus vir Alexander Beljame de versu Alfredi Tennyson disserens haec verba scribit : « Ce vers n'est pas autre chose que notre vers français de dix syllabes. » [Enoch Arden, Paris, Hachette, 1898, p. 27.]

3. Excipi vero debent poemata quae inscribuntur *The Hous of Fame* et *Sire Thopas* quibus in scribendis octosyllabis versibus usus est.

4. Ten Brink, op. cit., pp. 175-77.

italico et liberius et saepius quam antea suis in operibus mutat nec decasyllabum suum vehemente et sola incisione scindit [1], iamborum motum plus servat quam Italici scriptores [2] trochaeosque fere semper, nisi ineunte versu vel nonnunquam post caesuram, rejicit. Syllabarum coitus elisionesque ubique accipit neque etiam post consonantem, ut idem Ten Brink asseverat, ac praecipue post illarum quamdam quae liquidae vocantur, duas syllabas non in unam coalescere sinit, ex. gr. fader͡ of, candel͡ at, etc., ita ut constet nullum trisyllabum pedem apud eum reperiri [3]. Quid multa? Patet Chaucerum qui primus apud Anglos versum heroicum adhibuit adamussim hunc versum scripsisse, paucis levibusque poetarum licentiis usum.

Cum vero tria apud Gallos in decasyllabo metro magni sint momenti : similes extremorum verborum sonitus, immutatus syllabarum decem numerus quem versus explere debet ac tonus qui et in decimam syllabam et in syllabam caesura distinctam incidit, priora duo sola inter se connexa apparent. Tonus enim eidem semper caesurae conjunctus nonnihil fastidii afferebat et in ipsa Gallorum lingua prolatione paulatim imminuebatur, quo efficiebatur ut vulgi aures praesertim syllabis decem numeratis versuumque clausulis inter se consonantibus afficerentur. Hoc igitur et in Anglorum heroicis versibus ab initio invenitur neque ipse tonus, nonnullis in verbis adhuc incertus, illi metro sufficiebat. Itaque per multos annos similes extremorum verborum sonitus cum decem prolatis syllabis versibus heroicis condendis natura rerum postulari videbantur.

Decasyllabum autem, a Chaucero adhibitum, metrum apud diversos postea poetas invenimus. Illo enim, sed neglectis Italicorum poetarum licentiis, et Thomas Hoccleve et Joannes Lydgate utuntur saepiusque (quod cum ducta e Gallorum versu origine mire congruit) in poematis vulgo « chansons de geste » dictis et in ceteris quae gallice scripta imitabantur. Vicino etiam in Scotorum regno idem metrum a Chaucero vates mutuati sunt. Apparet enim hoc decasyllabum metrum in opere viri cui nomen

1. Ten Brink, op. cit., pp. 178-79.
2. Id., p. 182.
3. Id., pp. 153-54.

« Blind Harry, » quod res Guglielmi Wallace cecinit et in versibus regis Jacobi Primi poetaeque Guglielmi Dunbar.

Sed, etsi paululum a Joanni Lydgate eruditus atque expolitus, heroicus post Chaucerum versus aliquid semper servat rude auribusque legentis gravius, civilia dum bella gerebantur. Non enim prius gratia valuit et excultus est quam studiorum antiquorum renovatio renascentesque apud Italos litterae animis stimulos admoverunt. Tunc vero mollius informatus a nonnullis ac praecipue a Thoma Wyatt Georgioque Sackville gallico mox decasyllabo par omnibus numeris a poetis absolvitur.

Unum enim tentandum remanebat post Chaucerum ut heroicus Anglorum versus canoris sonis sed maxima libertate scriberetur. Renovatis, ut modo diximus, litteris, studio antiquorum operum animi incubuerunt. Itali vero, primi hanc viam ingressi, saepius versuum clausulas inter se consonantes rejiciebant ut quodam modo ad graecos latinosque numeros reverterentur. Quo incitati exemplo nonnulli in Britannia poetae idem sibi faciendum proposuerunt, inter quos, ut existimatur, nemo ante Henricum Howard, comitem provinciae Surrey dictae, exstitit. Hic enim, cum secundum et quartum Aeneidis libros anglice redderet in ipso titulo operis sui nova fatetur tentavisse [1].

Hic vero recens versus, cujus supra secundam fortunam breviter narravimus a priore decasyllabo solum omisso extremorum verborum simili sonitu discrepabat. Decem quoque numerabat syllabas, si eas non computares quae, etsi scriptae, non proferebantur. Necessaria incidebatur caesura post quartam vel nonnunquam post sextam numeratam syllabam prolatarumque syllabarum et quarta et decima semper tenorem habebant. Quae decima cum saepissime et ultima versus syllaba esset, Anglorum metrum ab italico metro discrepabat quod in ipso fine tono caret et priorem ad Gallorum versum propius accedebat. Hoc denique, quod syllabae pari numero distinctae fere semper tenorem habebant, fiebat ut metrum sponte sua in iambos abiret, ut vidimus apud Chaucerum, nec mirum apparet, clausulis consonantibus sublatis quae apud priores tolli non poterant, accentuum legem plus quam

1. Sic in titulo liber inscribitur : The foorthe boke of Virgill... translated into English and drawn into a *straunge metre* by Henry Earle of Surrey.

antea in versibus valuisse anglicis. Attamen quadam utuntur libertate poetae cum syllabae decem, saepius iambis (id est syllaba quae tenore caret alteri quae tonum habet subjecta) dispertitae, primum apud Anglos heroicum metrum forment cujus clausulae inter se non consonant.

Quod metrum, regnante Henrico VIII° et extremis regni annis in Britanniam inductum, circa annum post Christum natum 1557 latius editum est. Non enim nisi prosperis insulae rebus artes vigere potuerunt. Tunc autem hoc metrum usurpaverunt tres poetae. Eo Thomas Sackville et Thomas Norton usi sunt in prima apud Anglos adamussim perfecta tragoedia, quam, Gorboduc inscriptam, coram amicis potius quam coram plebe anno 1562 ediderunt. Georgius vero Gascoigne his versibus, in satura The Steele Glas (anno 1576) inscripta, aulicus aulicos reginae ridendo castigavit. Imitator tamen Georgii Gascoigne nemo exstitit, cum et alii novum decasyllabum in scenam deduxissent, ubi prospera sorte mox gratus populo visus est.

Nullus vero poeta ante annum 1589 hoc metrum perpoliverat : primi enim qui post Thomam Sackville Thomamque Norton fabulas docuerunt arte usque rudi contenti decasyllabos simili clausularum sonitu sane carentes sed iisdem semper caesuris versusque formis taedium afferentes condiderunt. Christophoro denique Marlowe metrum debetur quod (dum magnum Spenseri poema heroicis numeris vulgi favorem conciliabat) excepit aequabilem fastidiosamque Georgii Peele et Roberti Greene artem et spectatores mire commovit : namque nunc scriptoris impetu amplius factum, nunc terrore fractum et anhelum, semper fuit dignum et tragica musa et laudibus quas doctus vir Ben Jonson aemulo suo, natu majori, tribuit. Populus quoque plausu comprobavit Christophori Marlowe fabulas et magnificum dicendi genus. Nec postea, regnante Elizabetha, decasyllabos qui simili clausularum sonitu carerent ulli poetae, nisi ad scenam, adhibere licuit.

Clausulae enim versuum inter se consonantes, quanquam necessariae esse nonnullis populis videntur, simplici fabulae dialogo repugnant[1]. Quibus solutus, fuit magis expeditus rebusque

1. Quo fit ut nonnunquam Guglielmus Shakespeare, sicut ineunte fabula quae Julius Caesar inscribitur, soluta usus sit oratione.

agendis aptior decasyllabus et mansit tamen canorus satis. Omisso autem clausularum simili sonitu, id poetis anglicis facilius fuit ut, verba callide selecta in initium sequentis versus reservando artique caesurarum studendo, tribuerent personis suis sermonem et dignitati et tempori aptum. Cum enim res praeclare excogitatas longa versuum serie redderet vates, audientem commovebat metro vel amplo et pleno vel concitato et repentina incisione fracto. Versus ergo flexibilis sese apte accommodavit ad omnia dicendi genera et ad varias personarum vices; quare et tragicis poetis utilis et ipsis tragoediarum spectatoribus gratus fuit.

Itaque decasyllabos clausulis consonantibus carentes nullus non usurpavit poeta scenicus, regnante Elizabetha et mox Jacobo I°. Plures enim sunt quam ut cunctos enumeremus qui post Christophorum Marlowe arte curiosa et felici deduxerunt hunc versum. Tirones etiam qui fabulas vel alienas, ut Guglielmus Shakespeare juvenis, vel suas novas docebant recente usi sunt decasyllabo metro quod extremorum verborum simili sonitu carebat. Quod et turba frequens in theatris comprobavit cum illi qui popularem auram captare voluerunt hujus exemplo numeros suos componere deberent neque ex iis vel unus post Marlovium ad veterem, ubi versuum clausulae inter se consonabant, tragoediam reverti feliciter tentavit, vel ad id tentandum a spectatoribus incitatus est.

Si vero recente versu utendo poetae novum arti scenicae impetum dederunt, idem versus hoc ipso in melius proficere cogebatur. Quod ad efficiendum plus alia facultas tragica Shakespeari valuit apud quem hoc metrum, a Miltonio postea adhibitum, fere perfectum invenimus. Prioris igitur magnique scriptoris in versibus componendis usum e libro docti E. A. Abbott hac de re confecto breviter referemus. Cui si credas, Guglielmus Shakespeare omnes suo tempore consuetos verba proferendo coitus vel porrectiones accipit. In numero non reponit unam duasve syllabas quae post decimam in fine metri vel post caesuram tenorem non habent dimidiumque pedem (id est, tono carentem syllabam) initio versus vel post caesuram omittit, dummodo pro eo mutum subjiciatur intervallum. Cum quaedam metri sui verba ad significationem utilia saepissime in sequentem versum incurrere sinat

optima scribendi ratione utitur. Caesurae vero innumerae ejus in fabulis inveniuntur mutabilesque nullum afferunt fastidium et ad omnes cogitationis formas se accommodant. Quae cum ita sint, tragicum Guglielmi Shakespeare metrum antiquis impedimentis vere liberum esse (aliquando etiam justo liberius [1]) videtur : quia utiles gallici decasyllabi licentias auxit, dum et immotam caesuram et similes extremorum verborum sonitus, ut nonnulli priores, rejecit.

Desinente igitur litterarum aetate quae regnis Elizabethae Jacobique Primi circumscribitur, duo heroici versus a communi origine orti, sed inter se et compositione et usu discrepantes exsistunt. Horum antiquior, heroicus decasyllabus cum simili verborum extremorum sonitu, qui per Chaucerum, ut doctus comprobavit Motheré [2], aequalesque ejus a decasyballo Gallorum metro fida imitatione ductus est, praecipue ad poesim fabulis contextam accommodatur. Qui mox a Scotis acceptus ficta narrat animique motus effingit strictosque tunc, sicut et postea, sibi strophae fines constituit. Sic quoque apud Anglos sexto decimo post Christum natum saeculo egregie scripserunt Spenserus in opere quod inscribitur The Faerie Queene et ipse Shakespeare suis in carminibus.

Recentior vero decasyllabus in scenicis modo operibus usitatur : quo in genere versus clausulis consonantibus expediuntur, ita ut majoris momenti fiant toni et caesurae. Verborum quoque syllabae hujus temporis prolationi congruenter pronuntiandae sunt versusque aut amplas in periodos congregantur aut repentina franguntur incisione, prout res ipsa fert quae agitur in scena. Hic igitur non tam modulatio cogitata regit quam cogitata regunt modulationem.

Ambobus vero in metris nonnulla adhuc reprehendi poterant. Prior enim versus, cum adamussim scriberetur, nimiis continebatur impedimentis, atque imprimis similes extremorum verborum sonitus multis dicendis obstabant. Recentior autem versus,

1. Hoc enim, omissa syllaba quae tonum non habet vel ascito nonnunquam metro quod duodecim numerat syllabas, apparet.

2. Cujus vide opuscusculum quod inscribitur « Quelques mots sur les théories du vers héroïque anglais », etc., Paris, 1886.

etsi ad rem se facilius aptabat, apud tragicos quosdam solutae orationi nonnunquam propius accesserat ita ut nonnihil scenicae amplitudinis in discrimen veniret. Hoc igitur supererat ut poeta quidam laxiori decasyllabo certas imponeret leges eumque omnibus numeris absolutum epico praesertim opere dignum redderet. Quod efficere contigit Miltonio.

CAPUT TERTIUM

DE VERSIBUS VARIIS QUOS MILTONIUS ADULESCENS SCRIPSIT ET DE DECASYLLABIS QUID SENSERIT AD EPOS ACCOMMODANDIS

Si versus legerimus quos Miltonius adulescens scripsit, facile videbimus eum varia metrorum genera, aliquandiu incertum, tentavisse. Illius autem versus qui exstant legenti suspicari licet poetam anglica metra primum usitavisse circa annum post Christum natum 1624 et cum in eo esset ut Universitatem Cantabrigiae frequentaret. Quae mox Cantabrigiae condidit versibus sunt fere similia tironis qui Minerva haud crassa imitatur alios. Namque Chauceri Spenserique exemplum secutus octosyllaba et decasyllaba metra clausulis consonantibus ornata scripsit; in quibus haud secus ac magistri quos sibi elegerat nonnunquam vel substituit pro primi pedis iambo trochaeum vel subjicit decimae syllabae undecimam quae, tono carens, in numerum non asciscitur. Ad quos se fingens et ad italicos fortasse poetas quos nunc legerat strophas suas disposuit in poematis quae « On the Death of a Fair Infant » et « On the Morning of Christ's Nativity » inscribuntur, duoque carmina quae vulgo « sonnets » vocantur Italorum more condidit. Eisdem quoque sub temporibus (circa annum 1630) laudes Guglielmi Shakespeare cecinit, ita ut constet Miltonium non solum tragoedias exploravisse sed tragicum probavisse decasyllabum.

Metricam vero artem suam paulatim mutavit et jam dum Cantabrigiae degebat et postquam ab Universitate discessit. Tunc enim nonnulla parvaque carmina scripsit quae plerumque diversa metrorum ratione distinguuntur. Hic enim poeta non tam strophis condendis studet quam metris variandis, ut in versibus dictis vulgo « At a Solemn Music » et « Upon the Circumcision [1] » atque

1. Haec carmina fere anno 1630 scripta sunt.

in fabula paulo post privatim acta quae « Arcades » inscribebatur [1]. Eodem quoque modo, postquam, Cantabrigiam linquens, anno 1632, in pagum Horton apud patrem secessit, se litteris et antiquis et italicis totum dedit ac sedulo usque studuit arti metricae. Namque in operibus longioribus quae L'Allegro et Il Penseroso [2] dicuntur ac fere hoc tempore composita sunt, dum varietatem consectatur pentametris heroicis trimetros miscet tetrametrosque ità ut dicas Miltonium adhuc juvenem de metris utendis dubitavisse. Qui cum et Anglorum traditae consuetudini in carminibus obtemperare vellet, dum versuum clausulas inter se consonantes accepit, et veterum Italorumque exemplo illiceretur, quodam modo solitis metrorum legibus liberius uti quaerebat, antequam heroicos versus, rejecto denique extremorum verborum simili sonitu, scribendos susciperet.

Quod vero hujus generis primum tentavit in opere tragoediae simili invenimus, anglice « masque » dicto et in oppidi Ludlow Castello, anno 1634, acto, ut Comes de Bridgewater, creatus Cambrensium praefectus, cohonestaretur. Hic enim quidquid cantici est, ut contexta fabulae carmina, variis scribitur versiculis quorum clausulae inter se inordinate redeuntes consonant. Contra vero quidquid nonnihil ad fabulam agendam adjuvat vel ad personarum sermonem attinet (excepto uno brevique operis loco, v. 495-512) Miltonius heroico pentametro qui simili extremorum verborum sonitu caret feliciter et fere adamussim scribit. Paucos quoque hoc in opere hypercatalecticos notabis versus, fere unum non amplius, inter duodecim [3], paucissimosque quorum verba quaedam ad significationem utilia in sequentem versum incurrunt. Caesuris enim variis utitur sed saepissime metri fine sententiae suae finem imponit. Tunc vero, cum sibi ita libertatem in re metrica vindicavisset, antiquum jugum clausularum inter se consonantium gravius accepit. Ejus enim postea editum opus quod Lycidas inscribitur (1637) intermixtos extremorum verborum similes sonitus praebet, illaque quae in suis de re publica

1. Quae fabula circa annum 1631, vel 1632 acta est.

2. Ambo poemata circa annum 1633 condita esse existimantur.

3. Vide Milton, Comus edited by Ol. Elton, B.A., 1896, p. 80; tres hypercatalectici versus sunt continui, v. 350-52.

scriptis intexit carmina vel liberius alternatas versuum clausulas inter se consonantes ostendunt vel iisdem clausulis omnino carent. Cum igitur a litterarum studio ad civilem prudentiam se vertit metri genus eligendum statuit quod ingenio suo conveniret, nec deinceps longo in poemate priora ad vincula reverti potuit.

Quod quoque effecit cum, finiente Cromwelli dictatura, versus scribendos rursus suscepit. Tum enim, spreta opinione aequalium multorumque inter eruditos, pentametros quorum clausulae inter se non consonant aliis omnibus praestare declaravit in illo, ut ita dicam, de re metrica libello quem Paradiso Amisso praeposuit. Hic igitur, quia nihil ipse de litterarum arte edidit, quod de ea senserit et cur similes extremorum verborum sonitus rejecerit invenimus. Qui libellus, cum et Miltonii sententiam aperiat novasque res in magnum litterarum anglicarum genus induxerit nobis attente erit perscrutandus. Poeta vero, ut traditum decasyllabi versus ornamentum proscribat, veterum exemplo nititur. Versuum enim clausulae inter se consonantes ejus ex judicio, si brevia ad carmina se accommodant, in diuturni laboris opere animos a vero numerorum lepore tantum avertunt, saepiusque iis scriptores usi sunt ut vel inane argumentum vel inconditum metrum fucarent, « to set off wretched matter and lame metre. » Quas prorsus neglexerunt optimi Graecorum et Latinorum, apud quos non deerunt poemata excellente arte composita. His ipsis clausulis recentiores graviter impediti sunt ne apte ac perspicue cogitata sua exponerent. Fastidiosas etiam et sordidas esse clausulas consonantes ingeniosissimus quisque judicat[1].

Quibuscum facit Miltonius, cujus sententiam de versuum clausulis nuper exposuimus, ipsam Paradisi Amissi praefationem secuti. Cujus nos semper et usque memores esse decet dum, diversas criticorum sententias de epico Miltonii versu scrutati, sciscitamur quinam verum discreverint. Auctore igitur poeta ipso, tres res in primis sibi postulat versus heroicus, quas ille anglice vocat « apt numbers » et « fit quantity of syllables » et « the sense variously drawn out from one verse into another, » nos latine

1. Confer ipsa Miltonii verba : « Rime being no necessary adjunct or true ornament of poem or good verse, in longer works especially... a thing of itself, to all judicious ears, trivial and of no true musical delight... »

dicimus « numeros rei accommodatos » et « justam syllabarum summam » ac « verba sententiae diverse in sequentem versum rejecta. » Poeta enim, more suo, nihil versibus concinnis anteponit. Deinde accurate disserit de justo syllabarum numero. Colligere igitur nobis licet Miltonium syllabas omnes ad unam computari, et syllabarum numerum semper et usque sibi constare voluisse. Quem variare posse, ne obiter quidem innuit : quod tamen si credidisset, in disserendo de caesuris variis diserte declaravisset.

Caesurae autem, ut Miltonii quidem fert sententia, possunt decasyllabum aequabiliorem variare feliciter. Has enim diligentius persequitur verbis : « the sense variously drawn out from one verse into another. » Quinetiam, ut putat, poemate ita dispares in partes diviso delectatur lector, nedum dormitet versibus semper inter se similibus defessus. Quam varietatem Miltonio valde placere probant quae declarat ipse : itaque et versuum clausulas inter se consonantes magna vituperatione reprehendit et caesuras suo in opere accuratissima diligentia disponit. Heroico igitur in pentametro, si poetae nostro credas, cum immutari nequit numerus syllabarum quae proferuntur, tum variari possunt et modus quo canori efficiuntur versus et callida caesurarum collocatio. Unum enim firmum in re metrica vates cum duobus variis jungit quae ad diversas cogitationum vices se accommodant sicut et in magno Miltonii poemate singula cum totius operis ratione congruunt.

Quibus positis, facilius fortasse intellegi potest cur ipse poeta, spreta aequalium consuetudine, versibus simili extremorum verborum sonitu carentibus, etsi non in tragoedia, usus sit. Ex quo tempore, circa annum post Christum natum 1640, longum opus scribere statuit, censuit clausulas versuum inter se consonantes fastidiosas esse : quas neglexit quia et ipse res expertus didicerat et priores legerat poetas. Jam inde ab anno post Christum natum 1634, cum fabulam quae inscribitur Comus doceret, novum metrum usurpavit, libertate jam praeditum qua major non invenitur in « Paradiso Amisso. » Ad hoc quidem genus versus eligendum adduxit Miltonium prius quod informaverat operis consilium : nam destinaverat cum primum fabulam sacram, tum deinde epos suum condere. Ejus enim cognatus, Edmundus Phillips narrat

poetam talia sibi proposuisse atque etiam tragicos tunc versus pepigisse nonnullos, quos in Paradiso Amisso [IV, v. 32-41] adhuc inveniri affirmat. Qua de causa constituit semper et usque decasyllabos usurpare clausulis consonantibus carentes.

Quas ad spernendas Antiquorum exemplo incitabatur. Homeri enim Vergiliique mentionem facit in illo de re metrica, quem citavimus, libello : nam antequam epos suum scribendum suscepit et diu veteres versaverat poetas et in decasyllabos verterat clausulis consonantibus carentes carmen Horatii quintum libri I[1]. Praeterea apud recentiores etiam poetas patronos quaerens, declarat se auctoritate niti scriptorum egregiorum qui cum apud Italos, tum apud Hispanos, clausulas consonantes tanquam inutile heroici metri ornamentum, vel in brevibus vel in longis poematis feliciter rejecerant. Eandem igitur sibi ipsi versuum libertatem vindicat, spretis illis quae Joannes Dryden ejusque aequales hac de re censebant, ut Graecorum Romanorumque exempla sequatur, nedum speciosa et a barbaris excogitata accipiat.

Neque extremorum verborum simili sonitu distincta metra etiam apud Anglos sola viguerant. Jure igitur legentis animum Miltonius ad memoriam illorum revocat qui regnante Elizabetha et postea Jacobo Primo Britannicis litteris ac praecipue theatro splendorem addiderant. Cum enim ei objiceretur quod a priore traditoque versu defecisset et tot ac tam infensi essent obtrectatores ut poetam bibliopola suus Samuel Simmons, post annum quo epos editum est jussisset novum metrum defendere[1], hos Miltonius deridet ac monet optimas Anglorum tragoedias eodem scriptas esse versu. Quod in libello suo profiteri non omittit et, cum ita causam callide dicit suam, se longo scenicorum poetarum usu doctum esse ostendit. Nobis igitur opinari licet Miltonium elegisse decasyllabos clausulis consonantibus carentes, non solum ut eadem libertate ac peregrini scribendo frueretur, sed etiam ut Shakespearum quem diligebat metro aemularetur.

Attamen etsi aliorum priorumque exemplo poeta nititur revera hunc versum ad epica poemata adhibendo novarum in litteris

1. Cf. David Masson, The Poetical Works of John Milton, 1893, vol. II, p. 5 : « Fifth title-page ».

rerum studiosus fuisse apparet[1]. Cujus ipse sibi conscius Paradisum Amissum insolitae libertatis exemplar vocat, « an example set, the first in English, of ancient liberty recovered to heroic poem from the troublesome and modern bondage of riming. » Usus enim jam a medio aevo increbuerat pentametros quorum clausulae inter se consonant ad heroicam materiam accommodare. Quae gallice « chansons de geste » dicuntur poemata versibus scribebantur ex ordine dispositis qui similiter omnes cadebant ; Divina Dantis Comoedia in trium versuum strophas, et in octo versuum strophas Tassi opus, quod « Gerusalemme Liberata » inscribitur, Furiosusque Ariosti Rolandus dividebantur. Idem de magno Spenseri opere constat quod dicitur « The Faerie Queene, » fere praecipuum adhuc conditum poema quod lingua, cogitatis, pondere cum illo Miltonii apud Anglos comparare licet. Usque vero ad annum post Christum natum 1667 heroico metro, nisi ad fabulas saturasque scribendas [2], in Britannia nemo usus erat. Quod in epos poeta noster induxit, et ad grandia augustaque ita accommodavit ut alium ad talia narranda posteri vates non acceperint. Attamen si multi octavo decimo et undevicesimo saeculo ejus exemplum secuti sunt, ille primus quid valerent pentametri simili extremorum verborum sonitu carentes intellexit, ille hoc metrum quodam modo erexit ut, antea solutae orationi propius et scenicarum fabularum terminis circumscriptum, summis honoribus in litteris anglicis amplificaretur.

Eodem vero tempore cum id poeta audacter faceret, aequalium consuetudinem in re metrica, ut ita dicam, ejuravit. Eum enim et ingenium et scripta priori aetati, cum regnaret Elizabetha, annectunt. Dum igitur fere omnes, jam sene Miltonio, ab elatae poesis studio et a pentametris quorum inter se non consonant clausulae scribendo discedebant, forti, ut litterarum doctus, animo, ille epico poemate rerum primordia hominemque vitio

1. Hoc Miltonii amicus nomine An. Marvell profitetur cum in poemate quod Paradiso Amisso praeponitur dicit :

« Thy verse, *created*, like thy theme sublime,
In number, weight, and measure, needs not rime. »

2. Opus enim quod « Davideis » dictum aequalis Miltonii, David Cowley, imperfectum reliquit clausulis inter se consonantibus ornatur.

lapsum et a Christo redemptum cecinit; quod ut efficeret tragico docti Benjamin Jonson Shakespearique usus est versu. Cujus novitatis sibi conscius in suo de re metrica libello quem Paradiso Amisso praeposuit, contradicentes quodam modo provocavit et inscitos aequales, ut ita dicam, reprehendit. Utcumque vero res evenit, opere suo Miltonius Anglorum judicium acuit viamque Josepho aperuit Addison. Pentametros denique quorum clausulae inter se non consonant exemplo suo maximis apud Britannos futuris poetis commendavit.

CAPUT QUARTUM

QUAE VERBA APUD MILTONIUM AB ANGLICA SAECULI XX[i] PROLATIONE DISCREPENT

Quibus de causis Miltonius pentametros clausulis consonantibus expeditos elegerit, antea diximus; quos quomodo composuerit in epicis poematis, jam quaerendum est. Quod quo melius pernoscamus, prius sciscitari debemus et quae fuerit vera prolatio aequalium poetae nostri, et quae syllabae tenorem habuerint saeculo XVII°. Si, ut e sententia nonnullorum doctorum saepe existimatur, Miltonius ejusque aequales eodem prorsus modo ac recentissimi omnia verba solerent proferre, satis esset nostris credere auribus ut Paradisi Amissi versus metiremur. Si contra, ut illi arbitrantur qui priorem Anglorum linguam scrutantur, veterum sermo ab hodierno saepe discrepat et quod non eaedem syllabae tono distinguuntur et quod nonnullae tunc abscindebantur quae loquendo tempore nostro audiuntur, alia nobis ratio adhibenda esse videbitur ut de re metrica Miltonii certa inveniamus. Et cum nemo non assentiatur eos qui de Shakespearo ceterisque tragicis disserunt ad illius temporis usum debere animum referre, disserturo de poeta qui paucis post annis vixerit idem facere licebit.

Attamen difficile existimari potest antiquam cujuslibet linguae prolationem plus duobus saeculis postea explorare. Quod ut accuratius fiat a diversis locis quaesita colligemus. Primum enim ipsa vatis opera investigabimus exemploque saepissime his verbis utemur quae in fine metri collocantur ubi tonus semper in decimam quam computes syllabam incidit, vel iis quae initio versus stant, quia apud Miltonium nunquam duo syllabae tenore carentes continuae ibi inveniuntur[1]. Extremorum quoque verborum similis

1. Hoc vero doctus vir D. Masson [in op. cit., vol. III, p. 222] negat, cujus sententiam paulo serius considerabimus.

sonitus nos certiores nonnunquam faciet. Aliorum denique scriptorum poemata qui septimo decimo post Christum natum saeculo vixerunt nos exquirentes edocebunt nec parvi pendemus loquendi usum remque metricam regnante Elizabetha quam sibi poeta noster consuetam habebat et quae posteris tradita diu apud Anglos viguit.

Cum vero de re metrica apud priores Anglos agitur, nonnulla quae indicio esse possunt saepius negleguntur. Fit enim ut multa in illius temporis poematis antiquam prolationem ipsa scribendi ratione demonstrent. Etsi eaedem voces uno in libro frequenter diversis litteris redduntur, fere semper breviores [1] esse quam apud aequales nostros videntur. Sic, exempli gratia, duo vocabula « flower » et « tower, » quae tanquam *flowr, flowre, flour, floure, flouer* ac *towr, towre* (ne ipsa *flower* et *tower* omittamus) in Paradiso Amisso reperiuntur, distincte unam syllabam pro duabus prolatam esse declarant. Huic adde vocalium elisarum notas quae tam saepe apud Miltonium observantur, sicut et in aliorum poetarum operibus septimo decimo post Christum natum saeculo, dum vero nonnunquam genitivus casus (ex. gr. in versu P. L. [2] XI, 634 : « From *Mans* effeminate slackness it begins) » nulla nota praeditus apparet. Scriptos quoque verborum coitus vide quos eruditus E. A. Abbott in libro qui Shakespearian Grammar (pp. 339-43) inscribitur collegit. Quod autem ad Miltonium attinet, David Masson negat hoc modo certum quidquam de vatis prolatione inveniri posse, cum ipse Miltonius caecus esset scribaeque ejus et librarii diversam scribendi rationem haberent [3]. Attamen si, neglectis poematis quae caecus corrigere nequibat, priora ab ipso sane recognita [4] legeris, multa animadvertes ex industria scripta esse. Quod ut comprobaremus primas editiones

1. Cf. E. Guest, A History of English Rhythms, 1882, p. 177 : « It is clear that the *barbarous contractions* so much inveighed against are not chargeable upon the ignorance of the printer; they form part of a system of orthography deliberately adopted by men of education to suit a particular state of our language. »

2. Breviter scribimus P.L. pro Paradise Lost et P.R. pro Paradise Regained, quae opera secundum docti viri, D. Masson, editionem citamus.

3. Vide D. Masson, The poetical Works of J. Milton, vol. III, pp. 161 et 214.

4. Etiam in Paradiso Amisso (1667), unum ex erratis jubet *wee* pro *we* in P.L. II, v. 414 emendari, sane quia verbum hic validiorem solito tonum habet.

fabulae quae Comus dicitur operisque minoris quod Lycidas vocatur investigavimus. In illo inter alia animadvertimus *grovling* pro *grovelling* (Comus, v. 53), *count'nance* pro *countenance* (id., v. 68), *adventrous* pro *adventurous* (id., v. 79), *Hecat'and* pro *Hecate and* (id., v. 135), *th'Indian* pro *the Indian* (id., v. 139), *t'whom* pro *to whom* (id., v. 217), *i'th'* pro *in the* (id., v. 282, 301), *tapstrie* [1] pro *tapestrie* (id., v. 324), *o'th'* pro *of the* (id., v. 446), *T'inveigle* pro *To inveigle* (id., v. 538), at *yee* pro *ye* (id., v. 331), cum validiorem tonum habeat verbum, et *the unpolluted* (id., v. 461) ac *the unexempt* (id., v. 685), cum vocales non elidantur. Altero vero in poemate notavimus *forc'd* pro *forced* (Lycidas, v. 4), *glistring* pro *glistering* (id., v. 79), *to th'world* pro *to the world* (id., v. 80), et *to th'oaks* pro *to the oaks* (id., v. 186). Cur igitur non accipiamus tanquam vatis judicio etiamtum congruentia haec verba in Paradiso Amisso quem anno 1667 edidit : *slumbring* scriptum pro *slumbering* (P. L. I, v. 203), *ris'n* pro *risen* (P. L. I, v. 211), *i'th'midst* pro *in the midst* (P. L. I, v. 224), at *hee* pro *he* cum fortiter (P. L. I, v. 245) proferri debeat, et *fixed* pro *fix'd* (P. L. I, v. 206) [2] cum duae distincte audiantur syllabae, *th'irrational* pro *the irrational* (P. L. X, v. 708), sed *the evil* (P. L. I, v. 335), cum non elidantur vocales, et *growing miseries* (P. L. X, v. 715), nulla abscissa syllaba ? Haec enim multaque apud aequales Miltonii his similia versus Paradisi Amissi sic legendos esse ostendunt, dummodo illius temporis dicendi rationem observemus.

Si vero a scriptis variisque fortasse testimoniis ad ipsam epicorum poematum investigationem transeamus nonnullas voces, quae nunc e duabus constant syllabis, unam tantum prolatione apud Miltonium habere videbimus, sicut etiam nunc eas plebs, majorum consuetudinis tenacissima, pronuntiat. Inter quas, exempli gratia, *bower, flower, shower, tower* citare possumus quae inter se et cum monosyllaba dictione *hour* in fine metri consonantes in poematis inveniuntur dictis *Comus* (v. 920-21, 984-86),

1. Cf. similia verba apud J. Schipper, Englische Metrik, 2er Theil, S. 107.

2. Haec exempla quaere in libro qui inscribitur « Paradise Lost as originally published by J. Milton... by D. Masson, 1879. » Qui syllabarum coitus si ibi nonnunquam scripti omittuntur [Vide W. Rost, Die Orthographie der ersten Quarto-ausgabe von Milton's P.L., S. 73] a caeco poeta sane neglecti sunt.

et *Il Penseroso* (v. 85-86, 103-4) [1] et « *On the Death of a fair Infant* (v. 27-28). Sic quoque se res habet et cum verbis *spirit* et *heaven* illo tempore saepissime *spir't* et *heav'n* scriptis [2] et cum participiis quae littera *-n* desinunt ac frequenter in fine versuum collocantur (ex. gr. P. L. I, v. 594, 716, 776; II, 13; IV, 515, 561; V, 541; X, 583, etc.). Eodem modo consonans littera *v* inter duas vocales abscindi potest ita ut *seven* fiat *se'en* (P. L. IX, v. 63; XI, 735; XII, 255), *seventy* fiat *se'enty* (P. L. XII, v. 345), quod cum *sevennight* vulgo *sennight* dicto congruit; item *e'en* pro *even* (P. L. IX, v. 1079; X, 191; XI, 148; P. R. I, 264) et *e'il* pro *evil* ponitur (P. L. III, v. 683; IX, 697-8 et fortasse 864; P. R. II, 371) [3], sicut Scoti *de'il* pro *devil* dicunt. Quod idem constat de litteris *gh* quae in verbis *higher* et *highest* nonnunquam omittendae sunt (ex. gr. P. L. VIII, v. 586; XI, 381; XII, 576 et fortasse P. L. II, 693), si versibus (ut P. L. VI, v. 114 et P. R. I, 139) arbitrari licet ubi haec verba versum concludunt, vel alio loco (P. R. IV, v. 106) praecipue ubi pentameter, nisi ita legeretur, solutae orationi similis esse videretur. Hoc quoque dicemus de voce *being* quae apud Shakespearum unam tantum numerat syllabam [4] unamque servat nonnunquam apud Miltonium (ex. gr. P. L. II, v. 585; IV, 483; VIII, 174; IX; 1147, 1155; P. R. II, 114; IV, 460), de verbis *saying* (P. R. II, 104; IV, 394, 541) et *flying* (P. R. III, v. 323) monosyllabis [5]. Videtur etiam *pillar* in *pill'r* coartari (P. L. II, v. 302; XII, 202-3) et *reason* in *reas'n* (P. L. I, v. 248; VIII, 591). Vati igitur copia erat metri causa nonnullas duarum syllabarum voces ad unam redigere, qua copia, praecipue in fine versus, saepe utebatur.

Nec solum hi syllabarum coitus, loquendi usu illius temporis probati atque plebis prolatione adhuc servati, in brevioribus et disyllabis verbis fiunt. Cum enim tenor maxime anglicis in voca-

1. Cf. E. A. Abbott, A Shakespearian Grammar, 1883, p. 355, et J. Schipper, Englische Metrik, 1888, 2er Theil I, S. 108.

2. Cf. E. A. Abbott, op. cit., p. 345, et J. Schipper, op. cit., pp. 109-10.

3. Cf. Abbott, op. cit., p. 349, et J. Schipper, op. cit., p. 110.

4. Cf. Abbott, op. cit., p. 355, et J. Schipper, op. cit., 2er Theil I, S. 108.

5. Qui vocalium uno in verbo coitus fere semper inter vocales eodem sonitu praeditas fit saepiusque apud priores poetas invenitur. Cf. Abbott, op. cit., p. 355.

bulis valeat, poetae fere semper licet syllabam abscindere quae tonum habenti proxima parum auditur, ita ut *'suage* pro *assuage* (P. L. I, 556), *'sdained* pro *disdained* (P. L. IV, 50), *'gan* pro *began* (P. L. IX,1016), *'scape* pro *escape* (P. L. IV, 7), omissa verbo praefixa syllaba, scribantur. Hoc docti viri Abbott et Schipper [1] apud poetas sexti decimi post Christum natum saeculi comprobaverunt. Quorum exemplo incitatus Miltonius libertatem eandem sibi vindicavit. Quod ut nonnullis argumentis confirmemus (cum longius esset omnia citare) satis erit haec allegare : semper abscindi potest syllaba tono carens quae syllabam tono auctam vel praecedit vel sequitur. Sic animadvertes praecipue participia coire, utputa *neighb(ou)ring* pro *neighbouring* (P. L. II, 395 ; III, 726 ; XII, 136 ; P. R. III, 319), *answ(e)ring* pro *answering* (P. L. IV, 464 ; VI, 450 ; VII, 557), *glimm(e)ring* pro *glimmering* (P. L. III, 429), *glitt(e)ring* pro *glittering* (P. L. III, 366 ; P. R. IV, 54) [2], multaque adjectiva nomina quae in *-ous* exeunt, ut *tim(o)rous* (P. L. II, 117 ; VI, 857 ; P. R. III, 241), *num(e)rous* (P. L. VII, 418 ; XII, 132, 166 ; P. R. III, 344) quocum apud Gallos verbum disyllabum « nombreux » comparare licet, et *per(i)lous* (P. L. I, 276) quod apud tragicos, regnante Elizabetha, *parlous* erat [3], nonnullaque verba quae nunc ampliora proferri solent ut *vi(o)lence* (P. L. VI, 405 ; XI, 888 ; P. R. IV, 388), *vi(o)lent* (P. L. XI, 428, 471 ; P. R. III, 87), *pity(i)ng* (P. L. X, 211, 1059) et, ut nobis quidem videtur, *pol(i)tic* (P. R. III, 400). Tales syllabarum coitus reperiuntur et in aliis poematis eodem tempore editis et in prioris saeculi scenicorum scriptorum operibus. Miltonius denique professus est versum heroicum in primis sibi poscere justum syllabarum quae proferuntur numerum [4]. Saepe autem numerus hic non reperiri potest nisi syllabae

1. Vide Abbott, op. cit., pp. 339-42, et J. Schipper, op. cit., 2er Th., S. 114.

2. Cf. Abbott, op. cit., pp. 351-52 et 355, doctique viri J. Motheré opus quod inscribitur : « Les Théories du Vers héroïque anglais, etc, », pp. 8-10.

3. Vide Abbott, op. cit., p. 342, et cf. quod dicit Guest, op. cit., p. 173 : « (Milton) seems to have distinguished between words that regularly elided the short vowel and those which did so only occasionally, writing *weltring* without an apostrophe but *conqu'ror* with one. »

4. « A fit quantity of syllables. » De quibus poetae verbis, jam supra (p. 20) citatis fusius infra disseremus.

nonnullae in unam coeant; coitus ergo tales fecit in versibus suis Miltonius.

Plerumque sane inter poetae prolationem et nostram hoc interest quod ille verbis formam tribuit breviorem : longiorem tamen quam nostra est interdum usurpat, sed rarius. Hujus enim licentiae familiaris satis [1] et Guglielmo Shakespeare et reliquis scenicis poetis exempla pauciora invenies in Paradiso Amisso. Sed antequam talia exempla in epicis Miltonii poematis requirimus operae pretium est allegare formas in primis notabiles quarum altera *contemplati-on* legitur in poemate quod inscribitur Il Penseroso (v. 54), altera *legi-on* in fabula quae Comus vocatur (v. 603). Pauca autem et leviora tantum exempla excerpere possumus ex Paradiso Amisso, nam in Paradiso Recuperato nullum repperimus, quanquam satis curiose inquirebamus. Sic animadvertes *senteries* (P. L. II, 412) pro *sentries* et *ministeries* P. L. VII, 149) pro *ministries* [2] et fortasse *re-al*, disyllabum verbum (P. L. V, 437 ; VIII, 310 ; IX, 699 ; X, 151, 613) ac *re-alty* [3] (P. L. VI, 115) quo in verbo syllabae *re-al* et tunc et duodevicesimo saeculo distinguebantur quae apud recentiores in unam coeunt. Miltonius igitur senescens, quod ad verba forma longiore aucta attinet, minore quam juvenis libertate usus est.

Postquam de forma verborum vel breviore vel longiore apud eum quam apud nos disseruimus, id restat ut de tono agamus. Quem, in verbis nonnullis aliam apud Miltonium atque apud nos syllabam affecisse docent clausulae praesertim versuum. Latinarum enim vocum poeta nonnunquam tenorem prius usitatum adhibet, sed Germanicarum tenorem non mutat nisi compositis in verbis. Quod praecipue apparet in disyllabis vocabulis. Multa quidem apud vatem nostrum gallicum servant tonum quo posterior eminet syllaba, sicut *accéss* (P. L. II, 130; P. R. I, 492), *advérse* (P. L. II, 259; X, 289; P. R. III, 189), *aspéct* (P. L. III, 266), *contríte* (P. L. X, 1091; XI, 90), nomina [4] *consórt* (P. L.

1. Cf. Abbott, op. cit., pp. 365-87.
2. At vide *ministry* (P.L. XII, 505).
3. Alio in loco (P.L. VIII, 575) poeta *realities* scribit.
4. De his vocabulis tanquam nominibus agitur, cum eadem, tanquam verba, semper tonum in posteriore syllaba habeant.

VII, 529), *consúlt* (P. L. I, 798), *contést* (P. L. IV, 872; IX, 1189; XI, 800), *convérse* (P. L. VIII, 408; IX, 909), *exíle* (P. L. I, 632; X, 484), adjectivum *futúre* (P. L. X, 840), *impúlse* (P. L. III, 120; X, 45), nomen *instínct* (P. L. X, 263), nomen *insúlts* [1] (P. R. III, 190), fortasse *procéss* (P. L. VII, 178), nomen *prodúct* (P. L. XI, 683), *prostráte* (P. L. VI, 841), *surfáce* (P. L. VI, 472), verbum *travérsed* (P. L. IX, 434), verbum *triúmph* (P. L. III, 338; X, 186) [2] ac fortasse *vanquísh* (P. R. I, 135) et in compositis vocabulis quae ortum habent a germanica lingua, sicut *sometimés* (P. L. IX, 824; P. R. I, 367), *tenfóld* (P. L. II, 705), *upríght* (P. L. VI, 270, 627; VII, 632; VIII, 260; P. R. IV, 551), *upróar* (P. L. II, 541; III, 710; X, 479). Quod si Robertus Bridges (Milton's Prosody, 1894, p. 20) vocabula *future* et *surface* tono in ultima syllaba distingui neget [3], dicemus contra nunquam apud Miltonium in quinto pentametri pede trochaeum inveniri, quae certa decasyllabi lex et aliorum poetarum usu et priorum exemplo Gallorum comprobatur et in ipso Italorum hendecasyllabo versu, ut supra (p. 8) vidimus, semper viguit. Quaedam vero inter disyllaba verba tonum in priore syllaba habent, dum apud aequales nostros tonus in posteriore manet, ut *brígad* [4], sic apud Miltonium scriptum (P. L. I, 675; II, 532), *súpreme* (P. L. II, 210) et *thémselves* (P. R. III, 174), quod tamen raro fit et paucissimis in vocabulis.

Nonnulla quoque trium pluriumque syllabarum verba quae a latino sermone originem trahunt tonum extremo vocabulo propiorem habent, ut *blasphémous* (P. L. V, 809; VI, 360; P. R. IV, 181), *illústrate* (P. R. I, 370), *obdúrate* (P. L. VI, 790; XII, 205), *odórous* (P. L. V, 482), *retínue* (P. L. V, 355; P. R. II, 419), *solémnize*, (P. L. VII, 448) [5], *volúbil* (P. L. IV, 594) ac fortasse

1. Cf. apud Joannem Dryden *convérse* (Epilogue to the Wild Gallant, v. 20) et *insúlt* (Sigismonda and Guiscardo, v. 668).

2. Cf. *accéss*, *aspéct*, *consórt*, *exíle*, *instínct*, *triúmph* apud doctos viros Abbott, op. cit., pp. 388-91, et Schipper, op. cit. II, pp. 133-35.

3. Doctus quoque vir Masson (op. cit., vol. II, pp. 216 et 218), unum sine ullo iambo pentametrum (P.R. IV, 633), refert, ubi tamen ultimum verbum sane tono distinguitur.

4. Cf. Abbott, op. cit., pp. 394-95 (*mýself*, etc.).

5. Vide Abbott, op. cit., pp. 390, 393 (verba *obdúrate* et *solémnize*).

colleágue (P. L. X, 59). Alia autem, cum validiorem tonum fini verborum propiorem habeant quam apud recentissimos Anglos, tenuiore quoque tono in syllaba ante hodiernum tonum posita distinguuntur, sicut *ácceptáble* (P. L. X, 139, 855), *áttribúte* (P. L. VIII, 565; XI, 836; P. R. III, 69), *cóntribúte* (P. L. VIII, 155) et *réceptácle* (P. L. VII, 307 ; XI, 123)[1]. Hoc enim semper animadvertes anglicis in vocabulis quae plures duabus habent syllabas, dummodo una saltem syllaba vicini toni separentur, utputa *úndesérvedly* (P. L. XII, 94) et *ímmortálitý* (P. L. IV, 201; V, 638). Itaque nonnunquam verborum exitus qui muti esse videntur soluta in oratione, sicut *-ble* et *-cle*, tenuem tonum apud poetas habere possunt, ut, exempli gratia, legenti apparet in vocabulis *térriblé* (P. L. VI, 910),*combústiblé* (P. L. I, 233), *írreconcílablé* (P. L. I, 122) et *óraclé* (P. L. I, 12; X, 182)[2]. Attamen poetae semper licet vel elisione tollere vocalem, sicut in vocabulo *invisible* (P. L. VI, 681 ; VIII, 135), vel priorem verbi syllabam quae tenore caret abscindere ita ut trisyllabum verbum evadat disyllabum neque alterum postulet tonum, ut in vocibus *ví(o)lence* (P. L. XI, 888), *pí(e)ty* (P. L. XI, 452 et 799) et *dé(i)ty* (P. L. IX, 885; XI, 149), vel recentissimorum prolatione, unum tenorem solum accipere, dummodo proximum verbum in prima syllaba tonum habeat, exempli gratia *ínfinite* :

« Ínfinite góodness, grace and mercy, shewn. »
(P. L. I, 218.)

(et cf. P. L. V, 874) et sine dubio *spíritual* (P. L. IV, 585). Sic enim pentametrum suum flexibilem efficit Miltonius novamque epicis poematis numerorum venustatem addit.

Revera saeculo septimo decimo post Christum natum anglicam linguam quodam modo mutabiliorem hodierna fuisse constat. Aequales nostri tonum syllabarum verbo praefixarum sane ita movere possint ut Miltonii instar vel *óverpraísing* (P. L. IX, 615) et *úndergó* (P. L. X, 126, 575) dicant, vel *overwhélmed* (P. L. XI,

1. Cf. apud Joannem Dryden *retinue* (Palamon and Arcite, Bk III, v. 453), et *réceptácle* (The Flower and the Leaf, v. 61). Cf. quoque doctum virum Abbott, op. cit., p. 394, qui verba *délectáble* et *détestáble* apud Guglielmum Shakespeare refert.

2. Cf. Abbott, op. cit., p. 388 (*comméndablé* et *véndiblé*).

748) et *understoód* (P. L. VI, 626), sed difficilius idem faciant ac poeta noster cum verbis e conjunctis nominibus compositis [1]. Nam apud hunc tonus nonnunquam in posterius incidit nomen, fortasse cum vates posteriori insistere vult, exempli gratia in verbis *sea-beást* (P. L. I, 200) *love-tále* (P. L. I, 452), *hell-fíre* (P. L. II, 364), *sword-láw* (P. L. XI, 672), *hell-gáte* (P. L. II, 746; X, 282, 369, 415), at contra *soúnd-board* (P. L. I, 709), *árch-fiend* (P. L. I, 209), *árk-hull* (P. L. XI, 840), *dáy-spring* (P. L. V, 139; VI, 521) et *frúit-trees* (P. L. V, 213; VII, 311). Si alterum e conjunctis verbis nomen sit, tonus in hoc potius incidit, ut in vocabulis *mid-áir* (P. L. VI, 536; P. R. I, 39); *mid-heáven* (P. L. III, 729; XII, 263), *nýmph-like* (P. L. IX, 452), *half-móons* (P. R. III, 309), etsi tamen *mídnight* (P. L. I, 782; IV, 682; V, 778; IX, 159) et *star-páved* (P. L. IV, 976) inter alia invenimus. Idem quoque constat de adjectivo nomine cum postponitur adverbio, exempli gratia *first-bórn* (P. L. I, 510; III, 1; XII, 189), *thick-laíd* (P. R. IV, 343) et *full-blázing* (P. L. IV, 29). Si cum monosyllabo disyllabum verbum conjungitur in ambo tonus incidit, dummodo nomina sint syllabamque tenore carentem inter duos tonos habeant, ut fit in vocabulis *Héaven-gáte* [2] (P. L. I, 326; V, 198), *moúntain-tóps* (P. L. II, 488), *hárlot-láp* (P. L. IX, 1060), *hárvest-quéen* (P. L. IX, 842), vel in posterius verbum incidit, si prius sit monosyllabon, exempli gratia *sea-mónster* (P. L. I, 462; XI, 751), *work-máster* (P. L. III, 696), *day-lábour* (P. L. V, 232), *night-wánd'rer* (P. L. IX, 640), *wine-óff'rings* (P. L. XII, 21), *bond-wóman* (P. R. II, 308) [3]. Cum denique conjuncta verba plures tribus prolatas syllabas numerant, verbum utrumque suum habet tonum, ex gr. *hárpy-foóted* (P. L. II, 596), quod et apud recentiores poetas adhuc viget.

1. Cf. apud priores poetas Shakespearum (Winter's Tale I, 2,257); apud recentiores cf. quod in libro qui inscribitur Enoch Arden... publié par Al. Beljame, 1898, p. 24, dicitur, de versu 168 : « For Enoch parted with his old sea-friénd. »

Cf. quoque J. Schipper, op. cit., 2er Th., S. 40, 136.

2. Media vero prioris verbi syllaba nonnunquam abscindi potest ita ut unum tantum ambo verba tonum habeant, ex. gr. Heav'n-tów'rs (P.L. XII, 52).

3. Cf. J. Schipper, op. cit., 2er Theil, I, S. 160-62, et nota Miltonium ultimam verborum conjunctorum syllabam, si soluta in oratione tenore careret, tono non distinxisse.

Miltonius vero tanta versus scribendo libertate fruitur ut ipsum tonum in nominibus similiter conjunctis vel etiam in iisdem conjunctis verbis parvum post intervallum saepe mutet. Sic enim *hell-fíre* legimus (P. L. II, 364) at *héll-hounds* (P. L. II, 654 ; X, 630), *mid-aír* (P. L. IV, 940 ; P. R. I, 38), at *mídnight* (P. L. IV, 682 ; IX, 159), quo fit ut facile *midníght* accipiamus in loco (P. L. V, 667) ubi alii initio pentametri duos esse trochaeos dicant. Eodem modo nobis verisimile videtur in versu : « Of wood-gods and wood-nymphs. He viewed it round » (P. R. II, 297) *wóod-gods* et *wood-nýmphs* diversis cum tonis legi, ut metri numerus perficiatur, et *warlíke* (P. L. IV, 780) eandem ob causam metiri, etsi multis in locis (ex. gr. P. L. I, 531 ; IV, 902 ; P. R. III, 308) *wárlike* invenimus. Attamen uno de composito nomine, de verbo *mankind*, contendi non potest, quod saepius *mankínd*, proferri debet (P. L. III, 161, 222 ; IV, 10, 315 ; X, 822 ; XI, 891 ; P. R. I, 266, 388 ; III, 82), sed quoque contra *mánkind* (P. L. II, 383 ; III, 66, 275 ; IX, 415 ; XI, 13, 38, 69, 500, 696). Quae duae dicendi rationes (cf. supra *wood-gods* et *wood-nymphs)* in hoc versu : « Above mankind or aught than mánkind higher » (P. L. VIII, 358) simul repertae quodam modo invicem ex industria opponuntur. Constat igitur et varia accentuum collocatione in conjunctis nominibus et discrepantibus ejusdem compositi vocabuli tonis Miltonium satis delectari.

Scribendi vero libertate non aequalibus suis sed potius prioribus poetis aemulatur cum sibi facultatem concedat, metri causa, ejusdem et simplicis verbi tonum mutandi. Exemplo enim voce *future* uti licet quae alibi (ex. gr. P. L. XI, 114, 764, 870) *fúture* legenda est, at *futúre* uno in loco (P. L. X, 840), voce *except* quae in priore syllaba (P. L. II, 1032) tenorem habet, saepius vero in altera (P. L. XI, 808 ; P. R. IV, 85), voce *ímportúne* (P. L. IX, 610) quae *impórtune* (P. R. II, 404) fit ac fortasse *vanquísh* cum tenore in posteriorem incidente syllabam (P. R. I, 175), sed alibi in priorem (ex. gr. P. L. I, 52, 476 ; III, 243 ; VI, 410 ; P. R. IV, 607). Idem vero constat de nomine *cónsort* (P. L. II, 963 ; VIII, 392 ; XII, 526 ; P. R. I, 51) quod in *consórt* vertitur (P. L. VII, 529) et de vocabulis *supréme* (P. L. III, 319) quod *súpreme* (P. L. II, 210) legitur vel *upríght* (P. L. VI, 270, 627 ; VII, 632 ; VIII, 260 ; P. R. IV, 551) quod nonnunquam *úpright* (P. L. I, 18 ; VI, 82)

proferendum est. At insignioribus exemplis uti non possimus quam verbis *prostráte* (P. L. VI, 841) quod aliis in locis *próstrate* (P. L. I, 280; X, 1087, 1098) legitur, vel *advérse* (P. L. II, 259; X, 289; P. R. III, 189) quod in *ádverse* (P. L. I, 103; II, 77; VI, 206 ; X, 701), vel *sometímes* (P. L. II, 632 ; III, 32 ; VII, 496 ; IX, 249, 824; P. R. I, 367) quod in *sómetimes*[1] (P. L. VI, 242; VIII, 268; XII, 97) mutantur. Neque aliter res se habet cum vocabulis quae parvi ponderis in versu sunt, dummodo ipsa collocatione inter alia emineant. Sic enim tum *hencefórth* (P. L. V, 881), tum *hénceforth* (P. L. X, 379; P. R. I, 456), atque *elsewhére* (P. L. I, 656 ; X, 959 ; P. R. I, 458) et *élsewhere* (P. L. III, 599 ; P. R. IV, 325) invenies, apud Miltonium, tum *thereín* (P. L. III, 390; V, 575; XI, 895), tum *thérein* (P. L. II, 833; V, 522; X, 483; XI, 838; P. R. II, 463; III, 109) et *withoút* (P. L. V, 566, 615, 714, 803; VIII, 35; IX, 791; P. R. III, 371) — quod semper de adverbio (ex. gr. P. L. IV, 65; VII, 65; X, 812) constat — et *wíthout* (P. L. I, 67; II, 892; III, 346, 385; IV, 656; VII, 542; VIII, 302; X, 995; XI, 45; P. R. III, 197)[2]. Poeta quoque delectari videtur si ambas unius verbi prolationes fere simul ostendere possit, exempli gratia cum de vocabulis *forthwith* (P. L. III, 326-27), vel *sometimes* in versu : « But sómetimes in the air as we; sometímes » (P. L. V, 79), vel *without* in pentametro : « Ordained withoút redemption, wíthout end » (P. L. V, 615), vel *therein* (P. L. XI, 895-96) agitur[3], quo fortasse modo vates variam faciloremque versus rationem fore credit.

Miltonius vero, dum pentametrorum varietati favet, sibi jus arrogat non solum quibusdam in locis tonum mutandi, sed etiam vocabulum integrum metiendi cujus duae syllabae apud eum saepius coeunt. Quam facultatem, a prioribus tragicis adhibitam[4], sibi poeta noster concedit cum disyllaba reddit verba *being* (P. L. IX, 282), vel *powers* (P. L. VI, 61), vel *heaven* (P. L. I, 360; III, 216), *spirit* (P. L. I, 697; V, 482; VI, 848) vel *towards* et *toward* (P. L. VIII, 257; IX, 495; XII, 296), trisyllabaque verba *luminous* (P. L. III, 420), *numerous* (P. L. XI, 130) inter

1. Cf. J. Schipper, op. cit., 2er Theil I, S. 138.
2. Cf. J. Schipper, op. cit., 2er Th. I, S. 137, et E. A. Abbott, op. cit., pp. 337-38.
3. Cf. Abbott, op. cit., pp. 359-63, ubi fere similia videbis.
4. Cf. Abbot, op. cit., pp. 361-63.

alia. Cur autem haec similiaque vocabula amplificari debeantur ex ipso recte scribendo versu apparet, sicut nonnullis comprobatur verbis quae integra in metrum suum poeta inducit, exempli gratia *different* (P. L. IX, 883), *summoning* (P. L. III, 325) et *violence* (P. L. XI, 671) in fine pentametri. Quod praecipue patet in propriis nominibus [1], ex. gr. *Úriél* et *Míchaél* quae tum trisyllaba (P. L. III, 648; — P. L. II, 294; VI, 202, 411; XI, 552; XII, 466), tum disyllaba *Úriel* (P. L. IV, 555, 589) et *Míchael* (P. L. VI, 250) leguntur, *Ábrahám* (P. L. XII, 152) et *Béthlehém* (P. R. II, 78), quae nomina disyllaba fiunt *Ábraham* (P. L. XII, 260, 273, 328, 447; P. R. III, 434) et *Béthl'em* (P. R. I, 243; IV, 505), quocum confer *Bedlam* e *Bethlehem* syllabarum coitu in ore plebis ortum [2]. Attamen verborum prolatio non semper ut metrum perficiatur apud Miltonium mutari videtur, sed interdum ut ipso versu nonnulli personarum sensus appareant. Nonnunquam enim turgidi gravisque aliquid integra vocabula addunt, sicut ultimum verbum in versibus :

« And miserable it is
To be to others cause of *misery.* » (P. L. X, 982).

vel dubii aliquid et ancipitis ut adjectivum nomen *perilous* in hoc :

« The perilous attempt. But all sat mute. » (P. L. II, 420).

vel voces *marvelling* (P. L. IX, 551) et *pondering* (P. L. VI, 127), vel intrepidi aliquid, ut in versu « yet only stood *Unshaken* » (P. R. IV, 421). Quomodo Miltonius ad hoc intentus videatur ut vocabula se mutuo honestent ipsa collocatione apparet e sequente decasyllabo :

« Ínfinite wrath and infiníte despair. » (P. L. IV, 74.)

ubi adjectivum nomen *infinite,* cum amplificatur repetitum, legenti, ut ita dicam, terrorem injicit quo mens impletur perditi Satanae [3]. Sic enim sua scribendi ratione poeta epos rei adaequare conatur.

1. Cf. E. A. Abbott, op. cit., pp. 352-54.
2. Sola vero hominum vel locorum nomina quae a recentissimorum Anglorum prolatione discrepant sunt *Dálilah* (P.L. IX, 1061), pro *Delílah* et *A'zores* (P.L. IV, 592), pro *Azóres.*
3. Animadverte quoque eodem in loco (P.L. IV, 73), amplificatum verbum « Me *miserable* » aliaque ob exempla cf. Abbott, op. cit., pp. 362-63, § 476.

CAPUT QUINTUM

DE EPICO MILTONII DECASYLLABO ADAMUSSIM SCRIPTO

Inter criticos qui de re metrica poetarum anglicorum scripserunt nonnulli et in primis T. Newton, Th. Sheridan et Sir S. Egerton Brydges [1] Miltonium versus omni fere lege solutos pepigisse contendunt. Qua de sententia antequam judicium ferimus, operae pretium est definire qui et quales sint epici pentametri quos « adamussim scriptos » vocamus. Aequales enim nostri epicum pentametrum constare dicunt e quinque ïambis quorum primo, ut in versibus simili extremorum verborum sonitu distinctis, vel trochaeus vel spondeus substitui potest [2]. Maximi tunc ponderis sunt quinque toni versus syllabis tenore carentibus separati, dum Miltonius nonnunquam continuos habet tonos decasyllabosque plus quinque tonis distinctos. Scrutemur ergo num haec nova heroici metri ratio cum tradita veterum poetarum ratione et cum ipsa scriptoris nostri congruat.

Revertendum vero erit ad opus docti J. Motheré [3] qui comprobavit Anglicos poetas versum heroicum ab antiquo Gallorum decasyllabo mutuatos esse, et ad primum opusculi nostri caput ubi leges decasyllabi gallici exponuntur. In illo vetere metro numerus syllabarum certaque caesurae collocatio solum scriptoribus curae erant. Si tamen apud Gallos ac praecipue apud Anglos iambicus

1. Cf. The Poetical Works of J. Milton, edited by Sir S. E. Brydges, London, Wm Tegg, pp. 454 sqq. : « I believe that Milton's principle was to introduce into his line every variety of metrical foot which is to be found in the Latin poetry, especially in the lyrics of Horace. »

2. Cf. A. Elwall, Nouvelle Prosodie Anglaise, p. 29 : « Elle (la mesure héroïque) est composée de cinq iambes, dont le premier, comme dans les vers rimés, peut être un trochée ou un spondée », et A. Spiers, Treatise on English Versification, 1874, p. 34 : « Iambics of 5 feet, called the *Heroic* measure, form the principal metre in the language. »

3. Cf. J. Motheré, Les Théories du Vers héroïque anglais, etc. Paris, Alph. Picard, 1886.

tonus invenitur, cum altera fere semper syllaba in versu tenorem habeat, hoc, ut supra ostendimus (p. 5), rerum natura fit neque ulla poetarum lege jubebatur. Quod in Britannia patet, quia primi de re metrica scriptores[1] hunc versum syllabas computando describunt et ipse Sir Ph. Sidney, cum de poesi disserit fere similia declarat[2]. Tragicus Shakespeare qui in fabula quae inscribitur « As you like it » (Ac. IV, sc. I, v. 31-32) heroicum versum citat decasyllabum condit, neque octavo decimo saeculo Alexander Pope plus decem syllabis requirit in metro : « And *ten* low words oft creep in one dull line » (Ess. on Criticism, v. 347). Quod vero ad Miltonium attinet, nos ejus de re metrica libellus ante Paradisum Amissum certiores facit, ubi haec duo in heroico versu vates praecipue commendat, rem certam, syllabarum numerum, variamque, caesuras[3]. Facile intelleges quam paucum poeta noster soli pentametrorum tenori intentus videatur, si ejus versus plus quinque tonis distinctos ,ex. gr. P. L. II, 621; III, 715; VIII, 527 legeris, qui omnes tantum decem syllabas numerant. Semper enim, ut perscrutanti utrumque epos apparet decasyllabum metrum adamussim Miltonius adhibet.

Quod sane patet cum vates nunquam, aliorum exempla secutus, vel minore decem syllabis, vel majore versu in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato utatur. Ne unum quidem syllaba carentem pentametrum, ut apud Shakespearum[4], ibi reperimus. Pentametros vero qui plus undecim syllabis numerant, et qui vulgo « alexandrini versus » vocantur nonnulli decasyllabis admixtos esse putant. Sic doctus vir J. A. Symonds[5] locum Paradisi

1. Cf. J, Motheré, op. cit., pp. 14-15. Ex quo manifestum apparet quantum Robertus Bridges (Milton's Prosody, etc., Oxford, 1894) erret cum scribit, p. 71 : « the syllabic liberty, so far from being new, is found in English verse from the earliest times », et quam dubie dicendum sit, p. 63 : « Shakespeare, whose early verse may be described as syllabic, gradually came to write a verse dependent on stress. »

2. Cf. Sir Ph. Sidney, An Apologie for Poetrie, etc., Cambridge, 1891, p. 60 : « Of versifying there are two sorts, the one Auncient, the other Moderne : the Auncient marked the quantitie of each silable, and according to that, framed his verse : the Moderne, observing onely number (with some regard of the accent). »

3. Hoc ipse R. Bridges agnoscit cum de poemate *Christabel* scribit (op. cit., p. 69) : « We cannot count by stresses any more than we can in Milton's blank verse », et p. 68 : « In Milton's verse the chief metrical rule is the number of syllables ».

4. Cf. Abbott, op. cit., pp. 411-20.

5. Cf. The Fortnightly Review, July-Dec. 1874, pp. 771 et 774.

Recuperati citat : « The one winding, the other straight, and left between » (P. R. III, 256) ubi prima editio « th'one » et « th'other » scribit, quo pentameter decasyllabus fit. Licet igitur et alibi (ex. gr. P. L. VIII, 216 ; IX, 249 ; P. R. I, 302 ; III, 243) uti syllabarum coitu ut in fine metri *sati(e)ty, soci(e)ty, irres(o)lute, unadvent(u)rous* legatur. Omnes vero Miltonii in epicis poematis versus eodem modo ad decasyllabos reduci possunt ut videtur viginti primis ab undecimo Paradisi Amissi excerptis versibus qui decem tantum syllabas singuli habent, dummodo consuetudini poetae congruenter *lowli'st, regen'rate Spir't,* et *th'ancient* proferas. Idem quoque constat de pentametris (P. L. I, 733 ; II, 851), qui perperam duodecasyllabi existimantur atque etiam de hoc : « Some wandering Spirit of Heaven by fountain-side » (P. L. IV, 531) ubi cum recentissimis de re metrica scriptoribus tredecim syllabas ac tres pedes trisyllabos invenires nisi quasdam syllabas more Miltonii coire in unam recte diceres. Quod si variam illo tempore verborum prolationem notabis, facile cunctos vatis versus ad normam absoluti decasyllabi rediges, atque, ex. gr. etiam iambos restitues hoc in versu : « With rapid wheels, or fronted brigads form » P. L. II, 532) ubi perperam trochaeos audiri contendunt nonnulli critici. Eadem ratione semper adamussim scribitur revera epicus Miltonii decasyllabus.

Poeticas etiam licentias, vel frequentissimas apud priores scriptores, Miltonius in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato detrectat. Inter quas notissima est consuetudo, a pristinis Gallis in decasyllabo accepta, pro nihilo computandi syllabam tono carentem ante caesuram. Hanc sibi libertatem poeta noster frequentius in fabula quae Comus inscribitur vindicavit (cf. Comus, v. 615, 662). Quam epicis in poematis improbat, cum illa raro utatur et eo modo fere semper ut vel syllabarum coitum, vel vocalis elisionem pro dicta epica caesura conjicere possis, sicut in versu : « Created hug (est) — at fortasse *hug'st* — that swim the ocean stream » (P. L. I, 202) vel in hoc : « Submiss He reared (me), and Whom thou sought'st I am » — at fortasse *He reared me'nd* (P. L. VIII, 316). Italorum enim exemplum secutus, qui talem in heroico pentametro facultatem abnuerant, vates paucissima sic condita metra in Paradisum Amissum et in Paradisum

Recuperatum induxit. Cujus exempla praebent hi versus[1] : in Paradiso Amisso lib. VII (385); VIII (316, 591), 649; XI (297, 336, 772) et in Paradiso Recuperato lib. III, 134 (107,125, 238, 340). Perraro autem adventitia haec versus syllaba apud Miltonium est verbum monosyllabicum : quod tamen accidit in versu « Gambolled before (them); th'unwieldy elephant » (P. L. IV, 345). Ceterum, quotiescumque hac licentia utitur scriptor, caesurae locum manifesta decasyllabi incisione conspicuum facit. Attamen licentiam apud scenicos poetas et inter alios apud Shakespearum[2] frequentissimam Miltonius fere omnino neglexit.

Quod idem quodam modo et de syllaba constat quae finiente versu in numerum non refertur et quam saepissime apud scriptores regnante Elizabetha invenis. Si enim, poetae nostri more, multis in verbis coeuntes syllabas non disjunctas computemus, paucissimos, praecipue in primis Paradisi Amissi libris, hypercatalecticos versus legimus. Sex certos (P. L. I, 38, 102, 157, 174, 606, 753) unumque dubium (v. 166) primo in libro animadvertimus inter 798 pentametros, tres certos (P. L. III, 203, 290, 306) unumque dubium (v. 576) in tertio libro inter 742. Ultimi vero libri et Paradisus Recuperatus plures hypercatalectos numerant, attamen valde pauciores quam in fabula quae Comus inscribitur ubi e duodecim versibus unum hypercatalecticum reperire potes, vel in Anglorum tragoediis sexto decimo post Christum natum saeculo scriptis. Decimus quidem Paradisi Amissi liber plurimos hujusmodi pentametros habet, cum e 1104 versibus 47 sine dubio hypercatalecti computantur, inter quos tres tantum (P. L. X, v. 781, 871, 927) in monosyllabum verbum tenore carens exeunt. Ultimus vero poematis liber inter 649 versus octo certos hypercatalectos (P. L. XII, v. 65, 114, 219, 247, 251, 255, 408, 518) unumque dubium (P. L. XII, v. 85) includit, dum in Paradiso Recuperato inter 502 primus liber quatuordecim numerat e quibus unus (P. R. I, v. 483) monosyllabo vocabulo desinit quod tono non dis-

1. Versus numero *uncis* incluso notatus exemplum *dubium* praebet; — versus numero *nudo* signatus, exemplum *certum*, ut in hoc : « Thy condescen*sion*, and shall be honoured ever ». (P.L. VIII, 649.)

2. Cf. ex. gr. fabulam quae inscribitur Macbeth.

tinguitur, tertiusque liber 23 inter 443 habet duosque [1] (P. R. III, 372 et 440) qui monosyllabo verbo sine tenore concluduntur. Nullos vero pentametros Miltonius in epos intexit qui duabus syllabis tono carentibus desinunt cum solius a docto Schipper citati versus (P. R. III, 82) ultimae syllabae coire (ex. gr. Deliv'rers [2]) possint, sicut et alibi (ex. gr. P. R. I, 302; P. L. VIII, 216; IX, 249 et cf. supra, p. 39). Neque etiam hic ut in fabula quae Comus inscribitur poeta undecimae quae tenorem non habeat syllabae parvum, ut ita dicam, tonum in quo vox haereat addit (ex. gr. Comus, v. 491 : « Come not too near; you fall on iron stákes élse, » vel v. 633). Miltonius ergo, in epicis poematis condendis, et traditas tragicorum in re metrica licentias et suam ipsius priorem consuetudinem ejuravit ut heroicum metrum adamussim scriberet, nedum nova et inaudita auderet.

Errant igitur tota via qui epicos poetae nostri versus contendunt interdum enormes esse et a metricis legibus discedere : quod non contenderent, si vocales elidendas eliderent. Miltonius enim, Italicos poetas imitatus, epico in decasyllabo saepissime elisiones usitavit. Quibus quia feliciter abundat inter omnes Anglorum vates eminet metrumque suum priore flexibilius reddit. Saepissime vero vocabulum *the* ante vocalem elidit, vel potius, ut apud Italicos, cum illa coalescere sinit ita ut ambas vocales audias, etsi unam tantum efficiunt in metro syllabam. Si vero doctus vir Masson hoc nonnunquam negat [3], satis est scriptos vocalium coitus septimo decimo post Christum natum saeculo memorare, usum poetarum qui, sicut Joannes Dryden, eodem ac Miltonius tempore vixerunt consensumque fere omnium existimatorum qui de his epicis poematis judicium tulerunt [4]. At vates, more italico, vocalem fere nunquam elidere audet, nisi ambae tenore careant syllabae, hiatumque rudi elisioni anteponere videtur. Qui enim

1. Attamen quibusdam in locis (ex. gr. P.L. X, 871 et P.R. III, 372), vocalis elidi potest verbo quod sequentem pentametrum incipit.

2. Cf. P.L. VI, 451; XII, 149, 479.

3. Cf. D. Masson, The Poetical Works of J. Milton, 1893, vol. III, pp. 214-15.

4. Cf. Wm Cowper (letter to Unwin, Oct. 31st 1779) : « The practice of cutting short a *the* is warranted by Milton, who, of all English poets that ever lived, had certainly the finest ear. » Quod ad priorum poetarum elisiones attinet cf. Abbott, op. cit., pp. 344-45, et J. Schipper, op. cit., II, p. 104.

exempli gratia septimum Paradisi Amissi librum scrutatur inter 640 versus tantum tredecim invenit (P. L. VII, 76, 186, 309, 335, 390, 398, 418, 421, 451-52, 533-34, 541) ubi verbum *the* ante syllabam quae tonum habet eliditur. Attamen vocabulum *to*, quod tragici saepe elidunt, apud poetam nostrum rarius vocali minuitur, et cum in primo Paradisi Amissi libro, exempli gratia, hoc verbum novies hiatum efficit (P. L. I, 49, 67, 81, 122, 155, 373, 505, 608, 719) ter solum (inter 798 versus) eliditur (P. L. I, 523-24, 749), at ne semel quidem in tertio libro [1]. Fere nunquam Miltonius cum vocabulo *to* elisionem fieri sinit ante syllabam quae tenorem habet neque plura quatuor exemplis hujus rei ambobus in epicis poematis legenti occurrunt (P. L. V, 576; VI, 814; X, 594; P. R. II, 82). Accurate igitur id studet vates ut solum quae tono non distinguuntur vocales saepius coeant quo coeuntium syllabarum extenuetur sonus.

Nonnunquam vero litterae, vel scriptae, non abscinduntur sed revera coalescunt. Sic enim vocalis *y* finientis verbi cum vocali initio verbi sequentis conjungitur solamque syllabam faciunt. Quod tamen fieri negant multi qui temporibus nostris de re Anglorum metrica disseruerunt, inter quos eminet doctus vir Masson [2], trisyllabosque pedes talibus in pentametris esse fingunt. Quorum ne in sententiam eamus tres impediunt causae : namque et coeuntium vocalium exempla epicis in his poematis tot suppetunt, ut manifesto sint legitima, non legibus soluta ; et adhuc, in sermone plebis, vocales coalescunt ; et, si contendas non esse hic locum plebi, parum verisimile est Miltonium, cujus aures delicatas fuisse constat, rudes hiatus perpetravisse, quales poetae imputat eruditus vir Masson (ex. gr. P. L. III, 402, 405 ; VI, 499 ; VIII, 628). Vocales autem coalescunt quae carent tono [3] ; quo tamen distinguuntur perpaucis his in locis (P. L. III, 728 ; VII, 446 ; IX, 494 et fortasse P. L. VI, 632 ; XI, 767), quanquam et in ultimo versu monosyllabum *burd'n* legi potest et in paenultimo

1. At fortasse in tribus primi libri citatis versibus verbi *to* vocalis non eliditur sed prima abscinditur sequentis vocabuli syllaba, e. g. *to've*. — Rarissime *to* cum articulo *a* coalescit (e. g. P.L. V, 360). Vide contra P.R. III, 152.

2. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, p. 220, exempla 13, 19, 20.

3. Quo fit ut in pentametro P.R. III, 117, coitum vocalium versus initio potius quam in clausula inter vocabula *glory he* fieri credamus.

syllaba fortasse adventitia caesuram praecedit neque in numerum adscribitur.

Si vero quaeritur utrum vocalis *y* elidatur an cum sequente coalescat, hoc potius fieri credimus : namque et vocales ambae conjungebantur apud Italos quorum imitatorem poetam nostrum fuisse constat, et conjunguntur adhuc vulgari prolatione et primae editiones minime hic indicant elidi finalem *y*. Idem quoque existimamus quod ad alios verborum exitus attinet, ut-*ow*, quae syllaba saepe apud Miltonium cum sequentis verbi prima vocali coalescit (ex. gr. P. L. I, 558 ; II, 518; V, 575 ; X, 717 ; XI, 757 ; XII, 613 ; P. R. I, 140), cum vates nonnunquam littera *w* ut vocali utatur et, sicut supra (p. 27) vidimus [1], *th'world* pro *the world* possit scribere (ex. gr. Lycidas, v. 80). Quidam vero vocalium coitus in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato frequentius reperiuntur quam in aliorum scriptorum operibus, ut apparet coeuntibus verbis *into*, *so*, etc. Hic quoque, ut constat de vocabulis *the* et *to*, quae coalescunt syllabae fere semper tenorem non habent, cum rarissime vocales coeant ante syllabam (ex. gr. P. L. V, 614 ; VIII, 135 ; IX, 1082) tono distinctam.

Si vero aestimandum sit qui verborum exitus elisione vel vocalium coitu saepius abscindantur, hoc frequentius fortasse fit cum syllaba -*ble* vel -*le*, ut in versu : « His temple right against the temple of God » (P. L. I, 402 et « Abominable, unutterable and worse » P. L. II, 626, et cf. P. L. IV, 596 ; VIII, 135 ; XI, 306), quae tamen nonnullis in locis (ex. gr. P. L. IV, 843 ; P. R. I, 256 ; IV, 573) pro adventitia ante caesuram et in numerum non adscribenda syllaba haberi potest. Neque hunc verbi exitum, ut apud tragicos [2], ante consonantem litteram in epico poemate coeuntem invenies. Eodem quoque modo syllabae -*so* in versu : « For we have also our evening and our morn, » (P. L. V, 628 et cf. IX, 1082 ; X, 203 ; XII, 611), vel -*ue* in pentametro : « And vital virtue infused and vital warmth », (P. L. VII, 236 et cf. P. L. IV, 848 ; VI, 703 ac fortasse, X, 372), vel *thee* in versu : « May I express thee unblamed ? since God is light » (P. L. III, 3 [3]) cum ineunte proximi verbi vocali coalescunt.

1. Cf. quoque apud Chaucerum *nas* pro verbis *ne was*.
2. Cf. E. A. Abbott, op. cit., pp. 346-47, et J. Schipper, op. cit. II, p. 106.
3. Cf. E. A. Abbott, op. cit., p. 344, ubi similia citantur exempla.

Restat ut de aphaeresi vel abscissa vocali initio verbi loquamur. Quam proferendi rationem hoc agnoscimus quod ea plebs etiam nunc utitur vel quod ea utendum est ut prius vocabulum intellegi possit. Doctus enim vir Masson hic erravisse videtur cum (op. cit., vol. III, p. 222) verba *no advantage* in *nadvantage* coire fingit neque, ut fit, in *no'dvantage* [1] (P. R. II, 234). Attamen pauca hujus modi exempla apud Miltonium invenimus, nec plura fere viginti si ea neglegas quae fortasse vocalium coitu in priore verbo (ex. gr. P. L. I, 470 ; IX, 110 ; P. R. III, 120) interpretari possis. Inter quae multa ad notos pervagatosque verborum coitus recidunt (ut *be't*, P. L. IV, 758 ; X, 795 ; *thou'st*, P. L. X, 198 ; XI, 347 ; P. R. III, 390 ; *I 've*, P. R. II, 245 ; ac fortasse *to 've*, P. L. I, 749 et *I'gainst*, P. L. IX, 931). Reliqua vero his quodam modo similia vel post pronomina reperiuntur (ex. gr. P. L. V, 107 ; IX, 152 ; X, 149, 567, 758, 766 ; P. R. II, 245) et post verbum *to be* (ex. gr. P. L. IX, 570, 746 ; XI, 689). Duo denique exempla aphaeresim post vocabulum *no* praebent (P. L. V, 407 ; P. R. II, 234), unum post vocem *my* (P. L. X, 468) atque unum sane post *though* (P. L. IX, 296 [2]). Quas vocalium aphaereses (contra nonnullorum de re metrica opinionem) asseverare licet, cum plurimas adhuc plebs adhibeat, iisque veteres usi sint poetae ac saepe solae requirantur ut canori fiant versus qui aliter dissoni videantur. Hic quoque, ut semper, vocales nullo tenore distinctae frequentius coeunt ; paucae vero inter se sono similes sunt (ex. gr. P. L. IV, 758 ; IX, 1082 [3]; X, 567) cum Miltonius, more suo, quantum possit asperas vocum concursiones vel vitet vel extenuet.

Attamen rarius utitur aphaeresi quae aspiratam *h* litteram ab initio verbi vocalem excipientis abscindit. Quod post pronomina, ex. gr. in versu : « But this praeeminence thou hast (= thou'st) lost, brought down » (P. L. XI, 347 [4]) et post vocabulum *to* fieri modo animadvertimus. At idem fortasse in aliis Paradisi Amissi locis (ex. gr. P. L. I, 524-25, 749 ; X, 594) evenit. Constat enim poetam Cowley, ipsa Miltonii aetate florentem, elisionem verbi *to*

1. Cf. Abbott, op. cit., p. 344.
2. Cf. E. A. Abbott, op. cit., p. 344, et J. Schipper, op. cit., vol. II, p. 104.
3. « And rapture so‿oft beheld ? Those Heavenly Shapes. »
4. Qui versus sic scribitur in prima editione.

ubique typis notavisse in edendo poemate quod Davideis inscribitur (cf. *t'enchain*, *t'have seen* in primo operis libro) : idem fecisset Miltonius (haud secus ac typis notat elisionem vocis *the)* si voluisset *to* elidi. Patet igitur poetam nostrum nonnunquam nolle elidi vocabulum *to*, sed malle abscindi primam sequentis verbi syllabam, ita ut proferendum sit *to've* pro *to have* (P. L. X, 594 et passim) — quocum confer usum familiarem quo *we've* pro *we have* dicitur — ac sane *virtue'th* (P. L. X, 372) pro *virtue hath*. Hos verborum coitus nulla nota Miltonius distinxit. Alios vero non dubios esse sivit, cum fortasse aequales suos iis minus assuefactos esse crederet. Tunc enim verba sua sedulo scribenda curabat, cum littera quaedam, veteri anglicae linguae usui convenienter, ante consonantem abscinderetur vel cum ineunte consonante coiret. Quod nonnunquam sed rarius animadvertes cum verbo *to* cui *whom* subjicitur (vide *t'whom* in pentametris P. L. II, 746, 968 ; VI, 814 ; XI, 453) et cum antiquo verborum *in the* coitu qui *i'th'* scribitur (ex. gr. P. L. I, 224 ; XI, 432) ac proferri debet [1]. Haec tamen exempla ostendunt et Miltonium prioris litterarum scholae disciplinam profiteri et (cum tam pauca sint) rem metricam Anglorum, quod ad pentametros simili extremorum verborum sonitu carentes attinet, in epicis poematis integram restituisse.

Semper enim, ut e supra dictis patet, ejus epici versus decem proferendas syllabas numerant. Si qui longiores videantur, iis vel ante caesuram vel in fine metri syllaba adjungitur quam licet in numero non reponi (quibus vero parum poeta utitur), vel fit verbi coitus, vel syllabae quaedam coalescunt, vel aliae elisione abscinduntur [2]. Nonnulli contra, ex. gr. : « To whom thus Michaël :—Death thou hast seen ! » (P. L. XI, 466) breviores existimantur, quia illo tempore vocabulum diaeresi extendebatur. Quod

1. Cf. Abbott, op. cit., p. 345. et Schipper, op. cit., II, p. 114, et cf. germanica verba *Mund* et *ander* quae, omissa littera *n*, anglice *mouth* et *other* facta sunt.

2. Cf. quod eximius poeta Cowper ad amicum Rev. Walter Bagot in litteris (31 Aug. 1786) scribit : «... The unacquaintedness of modern ears with the divine harmony of Milton's numbers and the principles upon which he constructed them, is the cause of the quarrel that they have with elisions in blank verse... In vain should you or I tell them... that for this majesty it (i. e. his verse), is greatly indebted to those elisions. In their ears they are discord and dissonance ; they lengthen the line beyond its due limits... »

cum rarius esset septimo decimo post Christum natum saeculo plures Miltonii versus nobis legentibus longiores quam breviores apparere debent sicut revera constat. Dummodo igitur legibus heroici metri obtemperemus, quas supra, non syllabas tantum computando, sed alia ratione comprobavimus, ubique in duobus epicis poematis decasyllabos invenimus. Nunc vero nobis jus est declarare hanc legem a vate necessariam aestimari quam ne semel quidem violat. Quod constare mox iterum ostendemus, confutando mira criticorum commenta qui trisyllabos quos vocant pedes apud Miltonium aucupati sunt vel aucupari putaverunt. Laude autem eo dignior est poeta noster licentiis abstinens et normae observans quod apud priores tragicos legebat versus vel inconditos ita ut pro syllabis tono carentibus muta intervalla supplerentur[1], vel saepe hypercatalecticos. Quibus proscriptis, Miltonius de litteris anglicis optime meruit et poetis insequentibus egregium epici versus tradidit exemplar quod imitarentur.

1. Cf. E. A. Abbott, op, cit., pp. 374-85.

CAPUT SEXTUM

DE PEDIBUS DISYLLABIS LIBERE, TRISYLLABIS NUSQUAM, IN EPICO VERSU A MILTONIO USITATIS

Nostris temporibus, apud Anglos, a poetis duo non amplius pedum genera usitantur : trisyllabicum duas syllabas tono carentes syllabae tono distinctae jungit, disyllabicum unam. Utrumque genus an alterum modo in versu heroico reperiatur, jam nunc requiremus. Quos enim pedes in epos Britannorum inducere licet, ac praesertim quos, ipsius Miltonii usu approbatos, in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato animadvertimus ? Si traditam a prioribus heroici metri rationem exquiras decem semper syllabas nec, dummodo quinque serventur toni, alios ac disyllabos pedes reperis [1]. Rerum enim natura fit ut, cum decasyllabus versus tonum in decima quam computes syllaba habeat aliumque cum caesura in quarta ac frequenter in sexta syllaba, difficilius trisyllabi pedes oriri possent saepiusque in quinque disyllabos pedes metrum divideretur. Ex quo evenit ut recentissimi de re metrica scriptores cum notarent heroicum decasyllabum fere semper quinque tonis distingui eum e totidem iambis constare dixerunt.

Hanc tamen versus legem septimo decimo post Christum natum saeculo nondum invenerant litterarum existimatores quibus unum tantum in heroico metro certum videbatur, decem proferendae syllabae. Tradita igitur decasyllabi ratione poeta, quod ad tonos attinebat, fere omni lege solutus erat. Quae cum ita fuerint, Miltonius sibi hanc scribendi libertatem utendam statuit. Iambos sane, si voluerit, in epico versu solos condere potuerit ut multis exemplis

1. Hoc enim Georgius Gascoigne anno 1578 asseverat dicendo : « We use none other order but a foote of two sillables. » (Notes of instruccion in English verse, 1575, p. 34.)

(cf. inter alia P. L. III, 28, 165, 205, 525; V, 140; VII, 601; X, 1080; P. R. II, 66) apparet. Nonnullae vero causae, neglecta etiam rei metricae ratione a prioribus tradita, obstabant quin sic poeta faceret. Continui enim iambi saepiusque iterati magnum audientibus fastidium afferunt (ut Popii operibus probatur) neque eruditas Miltonii aures offendere non poterant. Ille vero, sicut a magistris suis didicerat, praecipue varium linguae usum variamque rem metricam affectabat. Nam neque Anglorum tragici, nec Dans vel Torquatus Tasso severa tonorum lege in versu obligabantur eorumque feliciter absoluta poemata Miltonio quoque animum addebant. Huic accedit quod frequentiores iambi vatem coegerint ut vel apta rejiceret polysyllaba, cum tonum initio verbi haberent, vel mutatis tonis verba corrumperet in lingua quae fere tota e vocabulorum tenore pendet. Qua re fieri non poterat quin diversos in epico decasyllabo pedes adhiberet quo legenti voluptas variaretur.

Saepissime enim trochaeum in iambi locum sufficit. Cum vero anglica verba vel unum solum tenorem habeant vel leviores tonos sed a validiore tono semper syllaba quadam distantes, rarissime spondeus invenitur nec facile oriri potest nisi duo continua sint monosyllaba et in utroque vox nonnihil haereat. Quod nostra sententia non fit sine caesura quae haec monosyllaba dividat atque igitur spondeos (id est pedes qui e duabus syllabis tono distinctis constant) a docto viro Masson[1] citatos, si hos excipias : « Sáy,/Múse, their names then known, who first, who last » (P. L. I, v. 376) et : « Productive in hérb,/plánt and nobler birth » P. L. IX, v. 111) ac fortasse : « Háil/,Són of the Most High, heir of both Worlds » (P. R. IV, v. 633), tanquam iambos vel trochaeos legimus.

De pyrrhichio pede, qui e duabus sine tenore syllabis constat, dici potest ne unum quidem certum exemplum in epicis Miltonii poematis repertum esse. Nisi enim huic vel iambus anteponatur vel trochaeus subjiciatur, tres sine tono syllabae continuantur, cui ipsa Anglorum lingua obstat versusque exstant quatuor solum

1. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, p. 218, e cujus exemplis (p. 216) illa quae 7, 21 et 43 numerat citamus.

tonis distincti quod, ut serius apparebit, rei metricae vatis nostri alienum videtur. Notus vero Masson nonnullos hujusmodi pedes asserit inesse nonnullis quos citat versibus [1], ex. gr. « Me, me only, just objĕct ŏf his ire » (P. L. X, 936), ubi alii non pyrrhichium sed iambum in syllabis (-ject óf) audiunt, cum praepositiones saepius tonum habere possint, vel : « Surnamed Pĕrĭpatetics, and the sect » (P. R. IV, 279) ubi initio polysyllabi levem tonum ab existimatore neglectum invenies. Quod cum frequenter priores Anglorum poetas legenti occurrit [2], apud Miltonium adhuc servari hanc proferendi rationem credere licet. Utcumque vero se res habet, de qua disputandum erit in proximo capite, praecipue trochaeum in iambi locum suffici constat. Hunc enim poeta saepissime initio pentametri collocat ut versum feliciter variet verbumque primum eo modo ab aliis distinguat. Quibus trochaeis crebro utitur, ex. gr. in decasyllabo : « Thoúsand celestial Ardours where he stood » (P. L. V, 249 et cf. P. L. VII, 187-88 ; IX, 1062 ; XI, 166 ; XII, 354 ; P. R. I, 130-31, etc., etc.). Caesura quoque novum, ut ita dicam, versum incipiente, postea libenter Miltonius trochaeum ponit, ex. gr. : « I have in view, cálling to mind with heed » (P. L. X, 1030 et cf. P. L. II, 229 ; VI, 29 ; VII, 444 ; XII, 469 ; P. R. I, 280, etc., etc.). Semper igitur lege quadam et apud Italos vigente [3] vel initio metri vel post caesuram vates trochaeum adhibere potest.

Qua scribendi libertate nondum contentus trochaeis duobus nec continuis nonnunquam epico in pentametro utitur ita ut paululum tenorem iambicum interrumpat. Hoc vero cum non violentius fiat nonnihil Miltonius affectat, ut in versu : « Théy to their grassy couch, thése to their nests Were slunk » (P. L. IV, 601 et cf. P. L. II, 671 ; IV, 394 ; VI, 29, 751 ; VII, 549 ; VIII, 496 ; IX, 231 ; XI, 743 ; P. R. II, 245, etc., etc.). Mutatus enim tonus legentem novitate minus percellit post vocis intermissionem numerusque melius impleri videtur dum a syllaba initium capit quae tenorem habet. Saepius quoque trochaeos, nisi post caesuram vel

1. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III. p. 217.
2. Cf. Abbott, op. cit., pp. 335-37.
3. Nota enim initio poematis a Torquato Tasso scripti quod « Gerusalemme Liberata » inscribitur inter 24 primos versus novem cum incipiente trochaeo.

facto levi intervallo, non adhibet, paucis versibus exceptis, ex. gr. « And with these wórds hís temptation pursued » (P. R. II, 405 ; sic et P. L. III, 616, ac praecipue in Paradiso Recuperato cf. P. R. I, 357 ; II, 154 ; III, 217, 432, 443). Duos trochaeos cum in versu suo poeta accipit separatim collocare solet ac, quotiescumque caesura post primum pedem trochaeumque metrum incidit, in altero pede iambum trochaeo praefert, raros si locos (ut P. L. VII, 364, 518 ; VIII, 226 ac fortasse P. R. II, 426) omittas. Sic enim tonos iambico tenori contrarios, ne traditum invertant numerum, libenter certis intervallis disponere videtur.

Quod ultimum si plerumque comprobetur, nec semper neque ubique in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato viget, cum quasdam poetarum licentias Miltonius suas vindicet. Initio enim pentametri duos interdum trochaeos componit, ex. gr. « Wíth impétuous recoil and jarring sound » (P. L. II, 880, et cf. P. L. III, 586 ; V, 750, 874 ; VI, 34 ; VII, 518, 533 ; VIII, 299 ac fortasse 308 ; X, 205, 936 ; XI, 79, 377 ; P. R. I, 357 ; II, 243 ; IV, 597), vel medio in versu, ex. gr. « Burnt after them tó the bóttomless pit » (P. L. VI, 866, et cf. VI, 906 ; VII, 122 ; X, 178, 202 ; P. R. I, 139, 361 ; II, 171, 180, 405, 428 ; III, 36 ; IV, 289), quibus apparet plura hujusmodi exempla in Paradiso Recuperato quam in priore poemate reperiri. Alia exempla, quae similia esse videantur, dubia sunt eaque diverse metiri potes (ut P. L. III, 616 ; V, 117 ; P. R. III, 200), vel, more Miltonii, tonum alium ac nostrum (ut P. L. V, 667 ; VIII, 226, 475 ; IX, 1157 ; XII, 164, P. R. III, 217) habent. Duos vero trochaeos tantum in primo ac secundo pede, vel in tertio ac quarto, nullosque in secundo ac tertio vidimus [1]. Versus denique quintus pes apud Miltonium, duobus solum exceptis pentametris (P. L. III, 715 et V, 411) qui septem tonis distinguuntur, semper e iambo constat, etiamsi post nonam syllabam caesura decasyllabum incidit (ex. gr. P. L. II, 573, 810, 864 ; III, 289, 342 ; VII, 614 ; P. R. I, 378 ; IV, 562), neque alium pedem atque iambum, ubi doctus vir Masson [2] spondeos (P. L. I, 122, 376 ; P. R. IV, 423, 633) legit, legimus, quo fit ut distincte inter ceteras decima syllaba tenore emineat.

1. Hoc vero fortasse uno in versu (P.L. IX, 610) invenias si *importúne* vocabulum legas quod melius *impórtune* erit (cf. P.R. II, 404).

2. Cf. D. Masson, op. cit., v. III, p. 217.

Paucos vero si decasyllabos cum duobus trochaeis animadvertis his in poematis, pauciores sunt versus ubi duo tantum iambi servantur. Solos enim in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato hos notavimus (P. L. V, 750 ; VI, 866 ; VII, 518 ; X, 205 ; P. R. I, 361 ; IV, 289 ac fortasse P. R. II, 405), ceterosque ab ipso Masson citatos [1] (P. L. I, 21, 122 ; IV, 830, 865 ; VI, 912 ; P. R. III, 443 ; IV, 279, 423) aliter atque ille scansione metimur. Qui etiam pentametros epicos invenisse nonnunquam dicit [2] ubi unus tantum iambus retinetur. Hos tamen (P. L. I, 376 ; VI, 866 ; X, 936 ; P. R. II, 243, 405) si scruteris, in cunctis duos saltem iambos legas dummodo verborum prolationem illo tempore usitatam observes. Quod ad ultimum exemplum attinet : « Hail, Son of the Most High, heir of both worlds » (P. R. IV, 633), in quo idem Masson ne unum quidem iambum agnoscit, nos contra post primum pedem, quem vel trochaeum vel spondeum audimus, tonos in verba *the*, *High*, *heir* et *worlds* collocando, tres iambos reperire credimus [3].

Nobis vero Miltonius videtur non solum plus tribus trochaeis nunquam adhibuisse sed etiam hos trochaeos nunquam continuos in versu disposuisse. Si quos decasyllabos, sicut « Shoots invisible virtue e'en to the Deep » (P. L. III, 586) et « On a sunbeam, swift as a shooting star » (P. L. IV, 556) huic animadversioni repugnare existimes, meminisse oportet ultimam verbi *virtue* syllabam elisione abscindi ac vocabulum *invisible* integrum numerari posse, quo tertius pes iambus fit, et alterius pentametri verbum *sunbeam* tono fortasse in posteriore syllaba distingui, quod supra (p. 30) nonnullis exemplis verisimile probatum est. Huic accedit quod versus tribus trochaeis incipientes iambico tenore omnino carent nec poetam nostrum tam in re metrica fastidiosum tanti in numerum peccati insimulare licet.

Ut eorum, quae diximus, summam faciamus, comperimus Miltonium fere semper tres saltem iambos suo in versu adhibere neque unquam plus minusve syllabis computatis decem. Illud vero

1. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, p. 218.

2. Id., p. 218.

3. Cf. enim E. A. Abbott, op. cit., pp. 335-36, ubi verbum *the* saepius tenorem videtur habuisse et apud ipsum Miltonium cf. versus (P.L. XII, 369, ac praecipue P.L. I, 40), ubi *thé Most High* sane invenitur.

non omnes sentiunt existimatores, nec praecipue ipse Masson qui, cum quamque in verbo syllabam proferri jubeat, multos trisyllabos pedes poetae nostri pentametris inesse declarat. Hoc enim patet, illum qui poema ab anglico scriptore septimo decimo saeculo conditum ita legit ut aequalis nostri opus audire credas, nonnullas proferre syllabas quae tunc loquendo omittebantur. Qui contra verborum coitus illo tempore usitatos adhibet Miltonii versus sponte sua ad decem syllabas reduci intelleget aliamque epici metri scansionem captiose fingi.

Neque obliviscendum erit decasyllabum ipsa rerum natura disyllabis favere pedibus ac regnante Elizabetha et postea Jacobo Primo anapaesticum vel dactylicum tenorem [1] apud Anglos in epico et in tragico genere fere omnino defuisse. Quo fit ut hunc difficilius in epos Miltonius induxerit cum scriptores eo, nisi in populari carmine, vix usi essent. Attamen doctus vir Masson plurimos hujusmodi versus in libro suo ostendit [2] quos attentius inspicere oportet. Ipse vero agnoscit hos omnes verborum coitu ad decem syllabas reverti posse [3] quod, ut supra comprobavimus, more Miltonii facere licet. Sed in fabula quae Comus inscribitur idem post caesuram syllabam adventitiam non reputat (ex. gr. « But for that damned magi[cian], let him be girt, » Com., v. 602 ubi *magish* ab adversariis ejus proferri fingit) vel in Paradiso Amisso vocalis cujusdam aphaeresin (ut *no'dvantage* in versu P. R. II, 234, ubi *nadvantage* fingit) vel elisiones, neque, ut faciendum erat, eam tenore carentem syllabam tollit quae validiori tono proxima collocatur (ex. gr. *diffikty* in versibus P. L. II, 1021-22 ab aliis proferri fingit pro *diff'culty),* quae omnia vel fastidiosis auribus nec coacta nec ridicula esse videbuntur. Nos igitur in locis ab illo citatis [4] sic legimus : « *Created hug(est) that swim* » pro *hugest* (P. L. I, 202), *tort'ring* pro *torturing* (P. L. II, 91), *reas'n* pro *reason* (P. L. I, 248), *ev(il)* cum adventitia ante caesuram syllaba

1. Cf. J. Mothéré, op., cit., pp. 42-63, et J. Schipper, op. cit., vol. I, pp. 237-38.

2. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, pp. 220-23.

3. Cf. ibid., p. 221 : « All these might be rectified into Decasyllabics by supposing elisions, slurs or contracted utterances... There could be no more absurd error. »

4. Haec exempla ex ordine, sicut ab ipso Masson citata, scrutamur. Vide op. cit.. vol. III, pp. 220-21.

pro *evil* (P. L. II, 261), *glory and* pro *glory and* (P. L. II, 564), *immeas'rably* pro *immeasurably* (P. L. II, 844), *Th'intricate* pro *The intricate* (P. L. II, 877), *ir'n* pro *iron* (P. L. II, 878), *on(ly)* cum adventitia ante caesuram syllaba pro *only* (P. L. IV, 251), *fancy, and* pro *fancy, and* (P. L. IV, 802), *Virtue in* pro *Virtue in* (P. L. IV, 848), *diet* pro *diet* disyllabo (P. L. V, 495), *t'other* pro *to other* (P. L. V, 576), *th'Earth* pro *the Earth* (P. L. VII, 335), *starry eyes* pro *starry eyes* (P. L. VII, 446) *th'air* pro *the air* (P. L. VII, 533), *purpl', azure* pro *purple, azure* (P. L. IX, 429), *eat'n* pro *eaten* (P.L. IX, 764), *also and* pro *also and* (P. L. X, 203), *fierc'ly opposed* pro *fiercely opposed* (P. L. X, 478), *beget (me)? I* cum adventitia ante caesuram syllaba pro *beget me? I* (P. L. X, 762), *justly is* pro *justly is* (P. L. X, 768), *adversary, his* pro *adversary, his* (P. L. X, 906), *only; his* pro *only; his* (P. L. XI, 336), *pi(e)ty* pro *piety* trisyllabo (P. L. XI, 452), *res'nant* pro *resonant* (P. L. XI, 563), *Ridic'lous* pro *Ridiculous* (P. L. XII, 62), *pill'r* pro *pillar* (P. L. XII, 203), *city, his* pro *city, his* (P. L. XII, 340), *hereditary, and* pro *hereditary and* (P. L. XII, 370), *cap'tal* pro *capital* (P. L. XII, 383), *Templ', and* pro *Temple, and* (P. R. I, 256), *Know'ng* pro *Knowing* (P. R. I, 356), *author'ty* pro *authority* (P. R. II, 5), *th'Earth* pro *the Earth* (P. R. II, 44), *t'any* pro *to any* (P. R. II, 82), *Pow'rs* pro *Powers* (P. R. II, 124) vel fortasse *Wat(er)* cum adventitia ante caesuram syllaba vel *Wat'r* pro *Water, Only in* pro *Only in* (P. R. II, 289), *glory he'xacts* aphaeresi pro *glory he exacts* (P. R. III, 120), *fly'ng* pro *flying* (P. R. III, 323), *o'ercame* pro *overcame* (P. R. III, 325), *City or* pro *City or* (P. R. IV, 243), *th'arsenal* pro *the arsenal* (P. R. IV, 270), *Epicure (an)* cum adventitia ante caesuram syllaba vel *Epicurean* pro *Epicurean*[1] (P. R. IV, 280), *thee and* pro *thee and* (P. R. IV, 553). Idem quoque Masson alia citat exempla ubi duos trisyllabos pedes fingit, dum nos sic legimus : *Wall'wing* pro *Wallowing* et *unwieldy, enormous* pro *unwieldy, enormous* (P. L. VII, 411), *obvious* pro *obvi-ous* et *duty erewhile* pro *duty erewhile* (P. L. X, 106), *sorrow unfeigned* pro *sorrow unfeigned*

1. Difficilius enim in illo versu licebit *Stoic* pro *Stoic* disyllabo legere cum idem vocabulum alibi (Comus, v. 707, et P.R. IV. 300) *Sto-ic* sit.

et *humiliation* pro *humili-ation* (P. L. X, 1092), *rav'nous* pro *ravenous* et *t'abstain* pro *to abstain* (P. R. II, 269), *Th'one* et *th'other* pro *The one* et *the other*[1] (P. R. III, 256), *high(est)* cum adventitia ante caesuram syllaba ac postea *high'st* pro *highest* (P. R. IV, 106).

Hi igitur pentametri, sicut apparet, cuncti, servatis rei metricae legibus, facile decasyllabi fiunt. At alios difficiliores invenimus, quos ipse Masson referre neglexit et qui tamen, eos si attente recognoscas, ad decem quoque syllabas redigi possunt. Quos omnes hic perscribimus :

1. « And where the River of Bliss through midst of Heaven »
(P. L. III, v. 358).
2. « Earth and the Garden of God with cedars crowned »
(P. L. V, 260).
3. « Because thou hast hearkened to the voice of thy wife »
(P. L. X, 198).
4. « Unbid ; and thou shalt eat the herb of the field »
(P. L. X, 204).
5. « The savour of death from all things there that live »
(P. L. X, 269).

In duobus primis versibus unius verbi coitu, id est singillatim vocabulorum *River* et *Garden* quae *Riv'r* et *Gard'n* legenda sunt perfectum decasyllabum invenies, sicut et in ultimo, si *sav'r* pro *savour* dicas. Quartus pentameter adamussim scribi videtur vocis *the* elisione, qua fiet ut *th'herb* pro *the herb* stet. Tertium vero exemplum fortasse omnium maxime a norma his in epicis poematis discedit, quia sacrae scripturae locum ipsiusque Dei verba refert quae mutare poeta non audet [2]. Attamen hic quoque, dummodo vocabulorum coitu *thou'st* pro *thou hast* et *th'voice* pro *the voice* legas [cf. supra, p. 27, *th'world* scriptum pro *the world* in opere Lycidas dicto, v. 80] decasyllabum versum reperies.

1. Sic enim haec verba scribuntur in prima Paradisi Recuperati editione.
2. Quod ipse Masson, ibid., p. 223, aliis de versibus cum tractat his verbis agnoscit : « Milton is quoting from Scripture and it is his habit then to compel the metre to adopt the literal text. »

Nobis igitur haec duo epica poemata perscrutatis patet nullos pedes illic adhiberi alios quam disyllabos qui alteram syllabam tono carentem, alteram tono distinctam praebeant. Spondeos quidem paucos proximo in capite allegabimus, sed plerumque Miltonius utitur vel iambis vel trochaeis quos iambis ita intermiscet ut continuos trochaeos duos raro, tres nunquam accipiat. Ita enim et iambicum tenorem servat et versus suos feliciter variare conatur : sed curat imprimis ut, exceptis iis quae in numerum non adscribuntur syllabis, semper et ubique e decem computatis ac prolatis syllabis epicus pentameter constet.

CAPUT SEPTIMUM

QUOMODO EPICUM PENTAMETRUM AC QUAE IN PENTAMETRO VERBA MILTONIUS TONIS DISTINXERIT ET QUOS PLUS QUINQUE TONIS DISTINCTOS VERSUS IN EPOS INTEXERIT.

Cum de pedibus in re metrica Miltonii disseruimus fere solos iambos trochaeosque apud eum adhiberi vidimus. Attamen inquirere licet num priores poetae idem atque aequales nostri quod ad pedes attinet senserint. Sexto enim septimoque decimo post Christum natum saeculis omnes litterarum in Britannia periti ad numerum syllabarum, fere neglecta tonorum collocatione, intenti erant. Recentiores contra tonis praecipue student et syllabis tono distinctis credunt plures paucioresve sine tenore syllabas ad suum arbitrium adjungi posse. Sed cum de Miltonio solum agatur notandum est illo tempore pentametrum decem syllabis circumscribi iambicumque praesertim tenorem servare, at remissiore teneri lege accentuum. Quo factum erat ut, exempli gratia, Joannes Donne aliquanto ante, etsi syllabas computando versus adamussim scribebat, cum tonis non attenderet, aures nonnihil offendisset.

Quae cum ita tunc fuerint, intellegi potest Miltonium quoque liberius tenore quam syllabis usum esse. Attamen ipse sibi tonos collocandi rationem statuit, nedum in Joannis Donne vitium caderet. Decasyllabus enim, quia syllaba concluditur quae tonum habet aliisque tonis in quarta sextaque prolata syllaba distinguitur, iambico tenori rerum natura favet. Hoc poeta noster cum sane animadvertisset, epos scribendo quinque semper accentus heroico in versu adhibuit.

Quod anglici litterarum existimatores nolunt agnoscere. Ipse

Masson [1] nonnullos citat versus ubi quatuor tantum tonos accipit eaque res a recentiore R. Bridges asseveratur [2]. Si vero prioris exempla scrutaveris, notabis illum leviores tonos neglegere qui vel in parvi ponderis vocabulum, tanquam in conjunctionem quamdam aut adverbium, vel in praefixam syllabam aut in exitum polysyllabi incidunt atque, ut supra (p. 32) vidimus, revera maxime valent. Nos igitur in decasyllabis quos ille refert sic cum tenore legimus : *ás* (P. L. III, 719), adjectivum nomen *infinite*, cum in versu repetitur, *ínfiníte* (P. L. IV, 74), *Ón* (P. L. IV, 556), *tó*, quod idem atque *unto* hic valet (P. L. VI, 866), *Tó*, initio metri (P. L. VIII, 299) [3] *shé*, cum poeta legentis animum in Evam convertat (P. L. IX, 791), *Ín*, cum accentu initio pentametri (P. L. X, 205), *tó*, quod pro *unto* stat (P. R. I, 361), *tó* cum tono post caesuram (P. R. II, 171), *hís* tono distinctum post caesuram (P. R. II, 405), *énemíes* cum levi tono in exitu verbi (P. R. III, 432), *fróm* post caesuram (P. R. IV, 289), *Ín* cum tono initio pentametri (P. R. IV, 597). Similia de versibus dici possunt quos doctus vir R. Bridges [4] citat, ubi cum tenore nos sic legimus :

Ánd, cum accentu initio versus (P. L. I, 498), *Ás from* eandem ob causam (P. L. I, 74), *tó discóver*, ut saepe vocabulum *to* ante verbum (P. L. I, 64), *béfore* cum mutato post caesuram tono (P. L. VIII, 464)[5], *tó* ante verbum *reláx* (P. L. VI, 599), *hórriblé* (P. L. I, 61) cum duobus tonis (cf. p. 32) ut vocabulum inter alia vividum emineat, *týranný of*, ob ipsum hiatum (P. L. I, 124) et sine ullo dubio *dárkness vísiblé* (P. L. I, 63) in fine decasyllabi.

Qui de re metrica Miltonii scriptores nonnullos etiam pentametros cum tribus tantum tonis invenisse dicunt. Hos quoque omnes referimus, et quos notus Masson citat :

1. « Created thee in the image of God »
(P. L. VII, 527).

1. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, p. 219 : « In a good many of the lines only four distinct accents can be counted... In three lines... I can detect but three. » Haec exempla ex ordine, sicut ab ipso Masson citata, scrutabimur.

2. Cf. Robert Bridges, Milton's Prosody, 1894, pp. 17-19.

3. Attamen hic et in versu P.R. IV, 597, ipse Bridges *Tó* et *Ín* initio pentametri tono distincta legit (Cf. R. Bridges, op. cit., p. 37).

4. Qui vero leviorem tonum agnoscit sed neglegendum esse putat.

5. Cf. supra, p. 35. et apud ipsum Bridges, op. cit., pp. 55-56.

2. « In the visions of God : it was a hill »
(P. L. XI, 377).

3. « Surnamed Peripatetics, and the sect »
(P. R. IV, 279).

et quos ipse R. Bridges refert :

4. « His ministers of vengeance and pursuit »
(P. L. I, 170).

5. « The sojourners of Goshen who beheld »
(P. L. I, 309).

6. « Transfix us to the bottom of this gulf »
(P. L. I, 329).

Quos si attentius inspicies videbis primo in versu (1.) vocabulum *thee*, ut inter alia emineat, tono distingui ac similiter *in* post caesuram ; in secundo (2.), sicut doctus vir Bridges agnoscit, initio pentametri praepositionem *In* tenorem habere ac sane verbum *was;* in tertio (3.), longius vocabulum *Peripatetics* vel *Perípatétics* vel potius *Péripatétics* proferendum esse tonumque in conjunctionem *and* incidere. In tribus ab existimatore R. Bridges relatis versibus polysyllaba *mínistérs* et *sójournérs* leviore tono in fine verbi distinguuntur et in duobus primis pentametris vocabula *and* et *who*. Quod ad ultimum decasyllabum attinet, praepositiones *to* et *of*, ut fit saepius apud priores poetas [1], metri causa tenorem quemdam habent.

At si quis veterum poetarum usu persuasus hac de re nondum certior sit, ex ipsius Miltonii poematis alia exempla afferri possint. Animadverte enim particulas verborum quae e duobus vocabulis constant (id est, quae gallice « verbes composés » vocantur) saepius apud eum tono distingui, ut *on* (P. L. II, 673, 804 ; P. R. III, 271 ; *in* (P. L. VII, 566 ; X, 94), *out* (P. R. I, 334), neque igitur mirum videri easdem voces, etsi diverso munere in litteratura funguntur, tunc etiam tenore non carere. Quod praeterea in fine metri apparet, cum ibi valido tono distincta vocabula *these*

1. Cf. E. A. Abbott, op. cit., pp. 335-38. Cf. quoque, quod ad tonos apud recentiores poetas attinet, optimum hac de re egregii Al. Beljame scriptum in libro qui « Enoch Arden, texte anglais publié... par Al. Beljame, 1898 », inscribitur, pp. 28 (II, 2°, a)-32.

(P. R. III, 32), *then* (P. L. V, 514), *where* (P. L. V, 340), pronomina *we* (P. L. II, 239), *I* (P. L. XI, 763), *who* (P. L. V, 398; X, 121) et adverbium *not* (P. L. V, 548; X, 918) inveniantur. Si revera validum accipere tenorem iis licet, quod tum in ipsa sententia majoris sunt momenti, cur non leviorem accipiunt, cum minorem sensum habent? Accidit enim ut nonnunquam haec monosyllaba, cum ab aliis verbis valida separentur caesura, initio pentametri stent, nec fieri non potest quin inter omnia emineant (ex. gr. *Till* (P. L. I, 347), *Though* (P. L. I, 394), *For* (P. L. II, 54), *Or* (P. L. II, 99; X, 218), *And* (P. L. II, 793) *But* et *He* (P. L. III, 208-9), *How* (P. L. IV, 237), *Yet* (P. L. V, 826). Quo patet haec verba epicis in pentametris facile tono distingui posse. Omnes denique critici quibus fere gravissimum in re metrica vitium videatur si decasyllabus nonnullis sine tenore syllabis incipiat [1], quod iambicum tonum obscurat, nobiscum sentient parva vocabula his in locis accentum habere (ex. gr. *so* (P. L. I, 644), *if* (P. L. II, 503), *far* (P. L. III, 88), *not* (P. L. VI, 293), *Or* (P. L. X, 1072), *my* (P. R. III, 205, etc.). Constat igitur et decem syllabas necessarias esse apud Miltonium et quinque saltem tonos requiri, ut epicus exstet versus.

Attamen cum poeta sibi hanc legem constitueret, severius quam priores heroicum decasyllabum scribebat. Ipse enim Chaucer qui metrum anglicam in linguam induxit quatuor tonis, si docto Ten Brink [2] ejus rem metricam penitus perquirenti credas, nonnunquam contentus videtur. Noti quoque versus a Georgio Gascoigne citati cum de aliis quam disyllabis pedibus mentionem facit : « No wight in this world, that wealth can attayne Unless he beleve that all is but vayne [3] » decem syllabas sed quadruplicem tenorem praebent. Tragici denique, ut apparet e libro eruditi Abbott [4], saepius quatuor tantum tonis in heroico versu utebantur,

1. Cf. E. A. Abbott, op. cit., p. 330 : « the first foot (apud Shakespearum) almost always has an emphatic accent. »

2. Cf. B. Ten Brink, Chaucer's Sprache und Verskunst, 1884, p. 183.

3. Cf. J. Motheré, op. cit., p. 41, n. (2).

4. Cf. E. A. Abbott, op. cit., pp. 413-17 et inter alia hunc versum cum deficiente syllaba : « Gentlemen, importune me no further » in fabula quae inscribitur The Taming of the Shrew, ac. I, sc. I, v. 48.

si unus e pedibus deesset, quod ejus vicem gestus personarum supplebat, vel si cogitati mutatio in pentametro repente fieret. Sic enim accurate metrum ad fabulam se fingebat. Miltonius vero suum epos condendo hanc sibi facultatem negavit ut, non solum quod ad syllabarum numerum sed etiam quod ad accentus attinet, versus scriberet adamussim.

Eo tamen non intellegendum erit omnes in decasyllabo tonos idem valere, ut sane patet e diversis de quodam versu judiciis (ex gr. de his : P. L. IV, 556; VIII, 299; P. R. IV, 597 et cf. supra, p. 57). Tres enim vel quatuor validi soni, quibus in soluta oratione periodus distinguitur, et in pentametro eminent. Hi igitur praecipue audiuntur cum versus recitatur saepiusque vel in nominibus, vel in adjectivis, vel in verbis, vel in pronominibus inveniuntur. Leviores vero toni tradito veteris linguae priorumque poetarum usu in exitum polysyllaborum et in brevia parvique ponderis vocabula nonnunquam incidunt. Qui scriptoris arbitrio utiles pentametro metiendo evadunt, nedum a validioribus ad nihilum redigantur, ut in re metrica Anglorum multis exemplis constat.

De forti tenore disserere non oportet, leviores vero scrutari ut manifestum sit quid in heroico decasyllabo valeant. Si, exempli gratia, sextum Paradisi Amissi librum explores, e 912 decasyllabis 264 reperias qui leves metri causa tonos praebent. Qui toni praecipue in nexus periodi incidunt et, incipiendo a particulis quae frequentius tonum accipiunt, in vocabulum *and*, in praepositiones *of*, *to*, *in*, *from* et in conjunctiones *as* et *or*. Ac notatione fortasse dignum videri potest Miltonium eadem conjunctione cum bis uteretur, ut vocabulis *or... or*, *nor... nor*, saepius unam tantum tenore distinxisse, ex. gr. : « In Pontus ór the Punic coast, or whére » (P. L. V, 340 et cf. *nor* P. L. V, 901; VII, 253 et *or*, P. L. VIII, 318; X, 107 [1]). Articuli vero rarius tonum habent, neque verbum *a* unquam nisi fortasse uno in versu (P. R. I, 70). Vocabulum *the* [2] contra interdum tenorem accipit (ex. gr. P. L. I, 756; II, 219; IV, 592; VII, 448, 469, 550; X, 279; XII, 369;

1. At vide contra ór... ór (P.L. XI, 102).
2. Cf. E. A. Abbott, op. cit., pp. 335-37.

P. R. I, 245 ; IV, 633), sed fere semper, ut his videtur exemplis, cum rem quamdam revera demonstrat. Sic quoque particula *to* ante verbum saepius tono eminet, dummodo mentis consilium vel propositum ostendat (ex. gr. P. L. V, 781 ; VII, 222 ; VIII, 412, 632 ; XI, 339 ; P. R. I, 101 ; III, 247 ; IV, 308).

Quae vocabula diverse in decasyllabo, sed plerumque non continua, collocantur. Constat quoque e supra citatis exemplis leves tonos, nisi incuria quadam, neque initio metri neque extremo in versu reperiri. Decima enim quam proferas syllaba in epicis Miltonii poematis (quod apud tragicos interdum non fiebat) semper validum tenorem habet minorisque ponderis verba quae ibi ponuntur, sicut vocabula *then, these, who,* etc., tunc non ipsa collocatione solum valent sed etiam gravi momento in sententia. Quo fit ut saepius voces levioris toni vel in secundo vel in quarto pentametri pede inveniantur duobus validis tonis inclusae qui eo clariores evadunt.

Sic enim artis suae peritum scriptorem agnoscimus qui varietati semper studet. Ille vero rarius duos nullo intervallo tonos accipit [1]. At saepissime intervallum requirit quod vel interrupta sententia vel finiente periodo aut sectione oritur. Quod semper inter validos tonos fit, ex. gr. « Not so on Mán : hím, through their malice fallen (P. L. III, 400 et cf. P. L. IV, 985; V, 521; VII, 261; IX, 553 ; XII, 420 ; P. R. II, 91). Leviores plerumque non continuos videbis. Inter levem validumque tonum minor saltem vocis cessatio, si non caesura, interponitur (ex. gr. P. L. III, 621 ; V, 257 ; VIII, 622 ; IX, 172 ; XI, 890). Quod vero ad spondeum attinet, id est, ad duos continuos uno in pede tonos, cum hunc rarius anglica in lingua invenias, ita et apud Miltonium [2] non adhibetur, nisi interponatur caesura.

1. Nonnulli vero Miltonii loci, cum hac de lege excipiendi sint tradita ab antiquis poetis caesura, ut eruditus Motheré, op. cit., pp. 26-27, comprobavit, explanantur post quam, nulla cogitati intermissione, tonus in quintam computatam syllabam incidere potest, ex. gr. « No wonder, fállen súch a prodigious highth » (P.L. I, 281, et cf. I, 562 ; VI, 32, 826, 906 ; VII, 543 ; IX, 92 ; XI, 60). Quod Miltonius et post alteram traditam caesuram accipere videtur, cum et septimam syllabam, non interrupta sententia, tenore nonnunquam distinguat (e. g. PL. II, 692 ; VIII, 62 ; IX, 33, 203, 206 ; P.R. III, 135).

2. Qua re igitur continuos tonos non agnoscimus his in versibus (P.L. II, 231, 624, 702, 755), quos nonnulli (cf G. Conway, A Treatise on Versification, 1878, p. 38), Miltonio vitio verterunt cum in verba atque adjectiva, non in nomina, tenor nobis inci-

Attamen his dictis de minimo tonorum numero eorumque epico in versu collocatione, restat ut notemus quam sibi in hac re poeta libertatem arroget. Praecipue vero plus quinque accentibus uti constituit ac tunc saepius sex accipit, ut e nonnullis exemplis apparet. Quod cum fit, plerumque tres tonos vel initio vel in fine metri colligit tresque in decasyllabo interponit caesuras, ex. gr. : « The Gód that máde both Sky, Aír, Eárth, and Heáven » (P. L. IV, 722). Paucissimi ab hoc discedunt versus (ex. gr. P. L. VI, 44; IX, 473 ; P. R. IV, 633) qui vel fortasse cum quinque tantum tonis metiendi sunt, vel (ut P. L. IX, 111 et 206) tenorem in quinta aut in septima quam proferas syllaba (cf. supra, p. 61, n. 1) habent ob traditam a prioribus decasyllabi caesuram. Saepius igitur licentia poetarum Miltonius tria saltem continua nomina, vel adjectiva, vel verba collocat (ex. gr. P. L. II, 893 ; IV, 115 ; VII, 212, 502-3 ; P. R. I, 474 ; III, 75) vocis quadam intermissione separata ut facilius distinguantur.

At praeter hoc metrum quod sex habet accentus ac quo ipse poeta frequentius utitur cum octo hujusmodi decasyllabos inter 1189 in nono Paradisi Amissi libro (P. L. IX, v. 111, 113, 118, 206, 335, 473, 730, 899) invenias, paucos quoque cum septem vel octo tonis animadvertes. Qui septem numerant sententia nostra [1] tres sunt (P. L. III, 715 ; V, 411 ; VIII, 527). Unum solumque octo cum tonis notavimus [2] : « Rócks, cáves, lákes, féns, bógs, déns, and shádes of deáth » (P. L. II, 621) Omnium vero hoc commune est, quod e decem tantum syllabis constant ac quatuor saltem manifestasque caesuras praebent. Attamen nonnulli de re metrica scriptores (ex. gr. G. Conway) ad notos versus quinque tonis distinctos hos versus redigere voluerunt fingendo quaedam nomina sine tenore proferenda esse. Quod fieri non posse nobis videtur cum, exempli gratia, uno in decasyllabo (P. L. III, 715) quatuor rerum principia, terra, aqua, aer, ignis, continua enumerentur,

dere videatur et ex. gr. sic legimus (P.L. II, 702) : « Thy líng 'ring ′r with óne stroke óf this dárt. »

1. At doctus D. Masson, op. cit., vol. III, p. 219, versum refert (P.R. IV, 633), ubi nos pro septem quinque solum vel fortasse sex tonos audire credimus.

2. Idem Masson, op. cit., vol. III, p. 219, duos versus refert (P.L. I, 376, et P.R. IV, 423), qui nobis videntur non octo sed quinque solum tonos habere.

neque asserere liceat primum secundo vel tertium quarto minus valere. Eadem vero dici possunt de aliis hujusmodi versibus, quo apparet Miltonium facile plus quinque tonis epico in metro accipere, dummodo vel syllabis nullo tenore distinctis vel forti caesura separentur.

Si vero quaeratur qua de causa vates a solita versus sui lege discedat, quod certum respondendum sit non habeamus. Miltonius tamen metro sex tonis distincto ideo videtur favere quod sic decasyllabum variare potest, nec multum versus a norma discrepat, cum saepius dimidium saltem scribatur adamussim. Fortasse quoque hunc hexametrum, si liceat ita dicere, condendo poeta verum Spenseri imitatus est hexametrum qui tam apte hujus strophas concludit. Neque enim apud alios vates sexto decimo post Christum natum saeculo similis versus omnino deest[1] majorque tonorum numerus pluresque caesurae, metrum amplificando auribus, illi majestatis quiddam ac canorum addunt. Quem cum poeta plerumque ad res enumerandas adhibeat, singulas clare exprimit et verborum gravitate quodam modo legentem commovet.

Miltonius igitur, quod ad tonos attinet, remissiorem legem observat. Dummodo enim epicus versus decem prolatas numeret syllabas, accentus varie dispertiri possunt. Rarius vero continuantur duo pentametri quorum syllabae eundem prorsus accentuum ordinem habent, cum toni nunc in alteram quamque syllabam incidant examussim, nunc in primam metri syllabam vel in eam quae caesurae proxima subjicitur, nunc vero, mutatis caesuris, fere omnem locum tenere possint. Septem denique vel etiam octo, si res postulet, nonnunquam invenies. Hic enim arbitrio suo verbis imperat scriptor cujus epos quodam modo silvae speciem refert ubi arbores vel densae componuntur vel rarae crescunt prout uberrimo aluntur solo necne, succisque laetis nutriuntur.

1. Cf. fortasse E. A. Abbott, op. cit., pp. 397-99.

CAPUT OCTAVUM

QUOMODO SUOS MILTONIUS EPICOS VERSUS VARIIS CAESURIS DISTINXERIT

Cum caesuras epicis in poematis tractando aggredimur, de mobili re sed non parvi momenti disserturi videmur. Caesura enim apud Anglos in decasyllabo saepissime mutari potest nullusque inter eos poeta peritorum judicio plus meliusve Miltonio caesuras suas variavit. Constat vatem nostrum versus multum curare quorum verba quaedam ad significationem utilia in sequentem versum incurrunt et ita caesuris quoque studere, quod ipse in suo de re metrica libello memorat quem Paradiso Amisso praeponit [1]. Neque igitur mirum est Miltonium plurimos aemulos hac re superavisse ejusque scribendi rationem, quod ad vocis intermissiones in pentametro attinet, propius scrutari oportebit.

Principio vero heroicus apud Anglos versus, ut supra ostendimus, vocis cessatione post quartam prolatam syllabam dividebatur. Hanc enim a Gallis observatam legem priores poetae tempore Chauceri accipiebant ac postea eandem, cum omitteretur in decasyllabo similis extremorum verborum sonitus, apud comitem de Surrey ejusque aequales reperies. Ipse tamen Chaucer, ab Italicis scriptoribus aliam versus condendi rationem mutuatus, caesuras suas ultimis in libris liberius mutavit [2]. Cui faciendo et tragici post Marlovium studuerunt. Miltonius quoque, quem Italorum poemata valde delectabant, parem sibi versificandi libertatem vindicavit. Didicit enim ab iis, quod prius apud Gallos tertio decimo post Christum natum saeculo lyrici fecerant scrip-

1. Ibi enim Miltonius memorat « the sense variously drawn out from one verse into another ».

2. Cf. B. Ten Brink, op. cit., pp. 178-81.

tores, post syllabam nullo tenore distinctam ponere caesuram [1] ex. gr. « The infernal Serpent; he it was whose guile » (P. L. I, 34 et cf. P. L. II, 159; IV, 413; VI, 223; VII, 412; XI, 573; P. R. II, 465; IV, 352, etc., etc.) eosque imitando optime caesuris usus est.

Dum vero apud Gallos prioresque Anglorum poetas caesura praecipue sententiae intermissio existimabatur qua fiebat ut tonus in quartam quae profertur syllabam eo fortius incideret Miltonius de ea aliter videtur sentire. Cum enim nos animum ad verborum significationem, vel « the sense variously drawn out, » attendere requirat validas caesuras quae cum vera sententiae incisione congruunt aliis se praeferre declarat. Attamen et in his diversa genera inveniri possunt, cum nonnullae post syllabam tono distinctam collocentur, aliae post syllabam sine tenore, quo fit ut caesura minus aspera videatur. Quas, cum non semper ejusdem momenti in versu sint, oportebit duas in partes dividere, quarum una graves continet interspirationes, alteraque breviores. Illas igitur *caesuras* tantum dicemus, hasque alio nomine *intermissiones*.

Ipsae caesurae silentio quodam distinguuntur quod sententiae repente finem affert, sicut in versibus : « O earth,//how like to Heaven,//if not preferred/More justly [2] » (P. L. IX, 99-100). Intermissiones vero a minore sententiae mora oriuntur, ut fit nonnunquam inter verbum nomenque quod secum trahit, ex. gr. « But prayer/against His absolute decree/No more avails/than breath against the wind/Blown stiffly back/on him that breathes it forth.» (P. L. XI, 311-13). Quae interspirationes frequenter vel eodem in versu vel in continuis vices variant, ex. gr. « The stone,//or like to that//which here below/Philosophers/ in vain so long have sought » (P. L. III, 600-01). Miltonius enim hoc modo mirabilem legenti decasyllabum efficit subtilemque ita artis suae legem observat.

Interdum quoque, ut pentametrum variet, poeta caesuram levat vel potius omnino tollit. Qua tamen versificandi ratione rarius utitur nec plures 58 hujusmodi decasyllabis inter 798 in primo

1. Hunc recentissimi existimatores lyricam caesuram dicunt ac praecipue post quartam sine tenore syllabam. Cf. quoque supra p. 5.

2. Duobus vero lineis caesuras, unaque intermissiones notamus.

Paradisi Amissi libro accipit. Id vero sine interspiratione metrum saepissime inter ipsas decem syllabas absolvitur, ex. gr. « The place he found beyond expression bright » (P. L. III, 591), at nonnunquam sententia vel cum priore vel cum sequente versu connectitur ita ut non decasyllabum fieri credas sed amplius metrum et in re metrica quodam modo periodum. Perite igitur Miltonius heroicum pentametrum sic laxat, ejusque tralaticiis finibus sublatis, fere ad solutam sed numerosam orationem revertitur. Quod vero, si rarius et opportune fit (ex. gr. P. L. VI, 775-76; VIII, 586-87; P. R. I, 305-7) poesis terminos videtur propagare.

Traditam quoque veterum rationem, quod ad caesurarum collocationem attinet, his in epicis poematis cum novo in re metrica usu conjunctam reperimus. Priores enim apud Gallos et apud Italicos scriptores vox in quarta syllaba, saepiusque post hanc in sexta, commorari debebat, ut et in Chauceri operibus ac postea regnante Elizabetha apud anglicos tragicos apparet. Quae caesurae a Miltonio aliis anteponuntur, cum in quinto Paradisi Amissi libro, exempli gratia, e 907 pentametris 472, id est plus dimidio, numeravimus ubi caesura post quartam vel post sextam quae profertur syllabam invenitur. Attamen ut varietate unam fastidiosamque interspirationem nonnihil mutaret poeta his versibus plerumque intermissionem quandam insuper addidit, sicut in his : « A race of worshippers/Holy and just!//thrice happy,/if they know/Their happiness,//and persevere upright! » (P. L. VII, 630-32) [1]. Cum huic praecipue studeret ut aures legentis nunquam offenderet, vates noster, caesuram post syllabam sine tenore ponendo, frequenter taedium effugit, ac libenter, more italico, post quintam aut septimam prolatarum syllabarum, dummodo in priorem syllabam (id est, in quartam vel sextam) tonus incideret, ex. gr. « To whom the Angel,/with contracted brow ; Accuse not Nature!//she hath done her part » (P. L. VIII, 560-61), aut : « Wherein true Love consists not.//Love refines The thoughts,/and heart enlarges//— hath his seat/In Reason,/and is judicious »

1. Miltonius vero fere nunquam quartam syllabam ante caesuram sine tenore esse sinit, ut Dans in versu : « Con tre góle // caninamente latra » Inf. VI, 14. Unum solum hujus modi versum (P.L. X, 936), apud poetam nostrum invenimus, aliumque dubium P.L. IV, 556), ut supra (p. 51) ostendimus.

(P. L. VIII, 589-91). Tertiam quoque post syllabam, dummodo altera tonum habeat, caesuras invenies, ex. gr. « Assist us.//But, if much converse perhaps » (P. L. IX, 247 et cf. P. L. I, 139; III, 382; VI, 697; IX, 377; XI, 208; P. R. II, 96, etc.), sed pauciores illis prius memoratis.

Omnes igitur his in poematis interspirationes a tertia prolata usque ad septimam syllabam notabis quibus Miltonius varietatis causa usus est. Accedit vero ut duas nonnunquam uno in versu collocet. Quod cum fit, prior saepius post tonum quemdam alteraque post syllabam sine tenore ponitur, ut fortasse haec illa quodam modo compensetur, ex. gr. : « Go, therefore;// half this day,//as friend with friend » (P. L. V, 229 et cf. P. L. 142; VI, 627; VII, 510; IX, 659, 1135; X, 987; P. R. I, 324; III, 248). Attamen et duas post tonos caesuras animadvertere poteris, ut in versu : « From all ://my Sect thou seest;// now learn too late » (P. L. VI, 147 et cf. P. L. II, 230; III, 600; VIII, 270; X, 741, 1074; XI, 71; P. R. II, 242) et rarius duas caesuras post syllabas nullo tenore distinctas, ut in versu : « Shall grieve him,//if I fail not,//and disturb » (P. L. I, 167 et cf. P. L. II, 164; IV, 878; IX, 566; P. R. I, 273). Pauciores vero decasyllabi tres habent caesuras (ex. gr. P. L. I, 620; II, 894, 990; VI, 422; XI, 585; P. R. III, 51), quae praesertim ad res enumerandas (ex. gr. P. L. V, 293; X, 114) et in versibus ubi sex invenis tonos adhibentur. Plures vero quatuor caesuris in pentametro adamussim scripto non animadvertes, cum et quatuor raro reperiantur, ex. gr. : « Anguish//and doubt//and fear//and sorrow//and pain » (P. L. I, 558 et cf. P. L. II, 950; IV, 538; V, 601; IX, 116; P. R. III, 268). Qui versus sex vel pluribus distinguuntur tonis multas quoque habent caesuras, sicut hic : « Of sense//whereby they hear,// see,//smell,//touch,//taste » (P. L. V, 411 et cf. VIII, 527) qui quinque, et alius priusque citatus pentameter (P. L. II, 621, cf. supra, p. 62) qui sex numerant. Dici igitur potest, si decasyllabos cum una tantum caesura excipias, duas saepius epicis in poematis adhiberi aliasque eo rarius quo plures uno in metro reperiantur.

Interspirationes vero de quibus adhuc disserebatur praecipue ad variandum pentametrum conferre credimus. Attamen illae quas vates post primam vel alteram versus syllabam collocat in

sententia cujusdam sunt momenti. Quae alteram syllabam sequitur frequentior apud Miltonium videtur cum plus alia iambico et epici decasyllabi et anglicae linguae tenori[1] congruat, ex. gr. : « He ceased,//and th'Archangelic Power prepared/For swift descent » (P. L. XI, 126-27). Tunc quoque primus metri pes fere semper ex iambo constat, unumque tantum trochaeum, praesertim in prioribus Paradisi Amissi libris, inter quinque hujusmodi exempla notabis (ut P. L. I, 747 ; III, 227 ; V, 673 ; VIII, 553 ; XI, 40 ; P. R. II, 320 ; IV, 240). Quae interspiratio vel ad vehementem compellationem vel ad incisa magis quadrat ultimumque interdum sententiae verbum distinguit. Illa vero quae primam sequitur syllabam rarius occurrit cum inter 798 versus in primo Paradisi Amissi libro quatuor tantum hujusmodi caesuras (P. L. I, 6, 203, 347, 394) atque undecim in secundo libro (P. L. II, 12, 54, 99, 129, 187, 361, 471, 488, 566, 793, 1023) inter 1055 versus videamus. Quod monosyllabon initio pentametri vel e conjunctione, vel e pronomine, vel ex imperativo constat, vel e nomine quod ita eminet, ex. gr. « War,//therefore, open or concealed, alike/My voice dissuades » (P. L. II, 187-88). Rarissime vero verbum ad significationem utile e priore versu in sequentem incurrens, ex. gr. : « but not to me returns/Day,//or the sweet approach of even or morn » (P. L. III, 41-2 et cf. P. L. IV, 747 ; XI, 492) sic collocatur.

Quod ad similes extremo in pentametro caesuras attinet, eas minus frequentes prioribus esse notabis cum decem et septem in primo Paradisi Amissi libro post octavam syllabam (P. L. I, 12, 193, 209, 245, 316, 358, 376, 382, 422, 424, 442, 559, 562, 599, 604, 620, 768) et post nonam tres solum in primo (P. L. I, 250, 661, 728) et quatuordecim in secundo libro (P. L. II, 163, 361, 466, 547, 573, 583, 787, 789, 810, 821, 864, 895, 931, 1043) reperiamus. Caesura vero post quartum pedem verba nonnunquam distingui possunt, ex. gr. « Stand still in bright array,/ye Saints ;//here stand,/Ye Angels armed » (P. L. VI, 801-2), at saepius post eam nova sententia incipit vel continuatur, ut in versibus : « how, last,//unfold/The secrets of another world,//perhaps/Not lawful to

1. Existimamus enim, contra docti viri Motheré opinionem (op. cit., p. 30), anglicae linguae tenorem revera esse iambicum, cum saepius disyllaba quae tonum in priore syllaba habent monosyllabo cuidam sine tenore (ut articulo) subjiciantur.

reveal » (P. L. V, 568-70). Eaque caesura, omnium rarissima, quae post nonam prolatam syllabam invenitur, monosyllabon interdum eminere potest, ut in pentametro : « Made to destroy.// I fled,/and cried out *Death!* » (P. L. II, 787) vel « Adore him who, to compass all this, dies » (P. L. III, 342), dum saepius cum ultimo metri verbo incisum incipit quod sequentem in decasyllabum incurrit, ex. gr. : « called/By Nature as in aid,/and closed my eyes » (P. L. VIII, 458-9; IX, 963-4; XI, 515-6; P. R. III, 377-8). Itaque ex his caesuris ita collocatis ut novitate animum legentis commoveant eae magis adhiberi videntur quae ponuntur post pedem quemdam integrum aliaeque vel sententiae finem distinguunt vel extremo in versu ineunti sententiae favent. Quas interspirationes, si rarae in poematis inveniuntur, interdum tamen frequentiores animadvertes. Sic enim nonnullae in septimo Paradisi Amissi libro insunt ex. gr. (P. L. VII, 108, 306, 323, 374, 640) neglegentia quadam fortasse acceptae cum eas ipsa res non semper requirere videatur, sicut et pentametri quorum quaedam verba ad significatione utilia in sequentem versum incurrunt.

His vero saepissime utitur Miltonius cum paene unus e tribus decasyllabis apud eum hujusmodi sit, qua de re in libello poemati quod Paradisus Amissus inscribitur praeposito, ut supra vidimus, verbis « the sense drawn out from one verse into another, » mentionem fecit. Neglectis enim versuum clausulis inter se consonantibus, fieri non poterat quin sententia extra fines metri egrederetur, ne similis semper caesura molestiae aliquid legentibus afferret. Quod ad hunc poetae usum attinet, cum docto viro Masson omnino consentimus qui notavit sententiam usque ad sextam vel ad quartam sequentis pentametri syllabam frequentius extendi [1], nec fere unquam ultra octavam, sed intra quartam octavamque syllabas plerumque desinere, ut in hoc versu : « but rather seek/Our own good from ourselves » (P. L. II, 252-53 et cf. P. L. II, 215-16; V, 704-5; 788-89; VI, 854-55; VIII, 607-8; XI, 287-88; P. R. II, 99-100; III, 250-1). Interdum vero cum versus a sequente vel a priore pentametro nulla caesura separetur, poetica quodam modo periodus efficitur, ex. gr. « whose roar Embowelled with outra-

1. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, pp. 228-29.

geous noise the air » (P. L. VI, 586-87) et : « That underneath had veins of liquid fire Sluiced from the lake » (P. L. II, 701-2), etsi rara hujusmodi exempla animadvertes, quia difficile nonnunquam erit tam multa vocabula sine interspiratione proferre.

Adde huc quod, si versus eundem semper numerum, sicut constat apud Miltonium, explent, necesse quoque videtur ut hic numerus audienti certos habeat fines, id est, ut intermissione saltem concludatur. Prioribus vero exemplis patet vatem nostrum hoc aliquando neglexisse, etsi eo modo frequenter leve verbum distinguit, ut *then* in versu : « Him to unthrone we then/May hope, when everlasting Fate shall yield » (P. L. II, 231-2 et cf. vocabula *I* (P. L. II, 807; *do*, P. L. IV, 475 atque etiam adjectiva *grave*, P. L. II, 300; *proud*, P. L. VI, 89; *mild*, P. L. X, 1046). Quam interspirationem poeta interdum, sed rarissime, tollit, cum scribit : « watered all the ground, and each Plant of the field (P. L. VII, 334-35) vel : « which compelled Me thus » (P. L. IX, 609-10), vel etiam molestius : « Eurynome (the wide-Encroaching Eve perhaps) [1], had first the rule » (P. L. X, 581-82 et cf. P. L. IV, 458-59; VI, 758-59; VII, 373-74, 581-82; X, 65-6, 100-01), quae menda praecipue in posteriore Paradisi Amissi parte incuria quadam accepta notantur ipsaque paucitate veniam impetrant.

Utcumque tamen se res habet, Miltonius hoc modo epicos versus inter se connectit et, ut ita dicamus, e connexis totum componit ubi ipsae interspirationes cujusdam sunt momenti. Intermissiones enim cum adamussim post quartam vel sextam quae profertur syllabam inveniuntur quietam scribendi rationem efficere videntur, ut his versibus apparet : « Now came still Evening on,/and Twilight gray/Had in her sober livery/all things clad, » etc. (P. L. IV, 598-99) qui vesperum describunt tranquillum, vel in blanda Mammonis oratione : « As He our darkness,/cannot we His light/Imitate when we please ?/This desert soil/Wants not her hidden lustre,/gems and gold, » etc. (P. L. II, 269-71). Confer quoque Evae verba cum primum vitae diem narrat (P. L. IV, 440-88) vel Romam a Satana speciose depictam (P. R. IV, 44-108), ubi

1. Quod fortasse Miltonius a prioribus apud Italos poetis mutuatus est qui similia scripserunt. Cf. enim supra p. 10.

paucae animadvertuntur medio in pede interspirationes aliaeque post secundum vel tertium pedem praesertim positae legentis animum quiete ac majestate quadam afficiunt.

Aliis in locis contra caesurae neque inter se similes neque adamussim caesuris succedunt, nunc post pedem quemdam, nunc medio in pede collocatae. Cum vero intra quartam septimamque syllabam tantum mutantur, út fit saepissime epicis in poematis, decasyllaborum varietati solum favent, ut versibus eodem modo incisis aures offendi nequeant locique vehementes eo fortius inter aequabiles emineant. Illi quoque loci interspirationibus facile distinguuntur. Caesurae enim medio de pentametro decedunt ut vel initio vel extremo in versu saepiusque medio in pede occurrant. Plures tum decasyllabos vides quorum verba quaedam ad significationem utilia sequentem decasyllabum invadunt, saepiusque sententia brevibus, interruptis et quodam modo anhelis vocabulis concluditur, vel monosyllabo quod ipsa collocatione eminet. Quorum exempla nonnulla praesertim in colloquiis notantur, ut in Adami ad Evam compellatione : « Out of my sight,/thou serpent !// That name best Befits thee,//with him leagued,/thyself as false and hateful » (P. L. X, 867-69, etc.), vel Mortis ad Satanam (P. L. II, 689-703), vel Abdielis ad eundem (P. L. VI, 131-48; 172-88) vel Redemptoris ad Diabolum (P. R. III, 122-44) vel extremo in soliloquio Satanae (P. L. IV, 103-13). Hic enim caesurae et multae et validae non varietati solum favent sed cum turbatis animorum motibus congruunt quos finxit poeta.

CAPUT NONUM

QUOMODO VERBORUM DELECTU, TONIS AC CAESURIS MILTONIUS CANOROS EFFECERIT EPICOS VERSUS

Rem metricam Paradisi Amissi Paradisique Recuperati scrutantes oportet, post diversas decasyllabi partes investigatas, accuratius exquirere quomodo vates versibus suis addiderit numerum qui tam saepe elaboratis ingeniosorum scriptorum operibus deest ac veri tantum poetae proprium videtur. Miltonius vero cum e stirpe musicis dedita ortus esset [1] fere a puero vocum varietatem ac modos noverat. Qua de causa et numerum, verbis « apt numbers, » inter heroici pentametri principia in illo de re metrica libello citavit ubi de syllabis computandis et de versibus quorum verba quaedam ad significationem utilia in sequentem versum incurrunt mentionem fecit. Numerum quoque cum ante alia referat, poeta maximi fortasse momenti esse aestimat, neque injuria cum alia omnia hunc ad perficiendum adjuvent. Quae decasyllabi rudimenta breviter exploranda erunt ut appareat quomodo epicis in poematis Miltonius canoros effecerit versus suos.

Si de verbis quaeras quibus in Paradiso Amisso Paradisoque Recuperato utitur poeta noster animadvertere licet quam accurate litteras quasdam vitet. Anglorum enim linguam, cum congeruntur vocabula, nonnunquam fastidiosum edere sibilum constat. Quod cum compertum haberet vates pauca verba pluraliter dicta vel sibilante syllaba desinentia in pentametris continua esse sivit. Ideo quoque, quantum fieri poterat, voces recusavit quibus litterae *tch*, *sh*, vel *ch*, ut Galli dicunt, « chuintant » inerant. Quare fortasse fit ut pauciora vocabula quam priores poeta ac prae-

1. Cf. quoque apud recentiores Gallos clarum historicum J. Michelet cujus oratio tam numerose cadit ac cujus pater avusque musicis se dediderant.

cipue quam Shakespearus adhibere videatur. Verba enim *child* vel *children*, exempli gratia, raris in locis epicorum poematum (P. L. I, 395; X, 194, 330; XI, 761, 772; P. R. I, 201; IV, 330) inveniuntur, sicut et verba ex his composita, ut *childless* (P. L. X, 989, 1037), *childish* (P. R. I, 201), *childhood* (P. R. IV, 220, 508), et *child-bearing* (P. L. X, 1051). At frequentissime haec significatione similia, *son*, *daughter* et *offspring* notabis. Rarius quoque vocabula *charm*, *chase*, duobusque in pentametris *to fetch* (P. L. VIII, 137; P. R. IV, 589) et *to chill* (P. L. V, 65; XI, 264) unoque tantum in versu adjectivum nomen *chill* (P. L. IX, 890) paucisque in locis vox *short* reperiuntur. Nec frequenter litteras *th*, excepto fortasse uno decasyllabo (P. L. II, 164) ubi ex industria iterantur, vates in pentametrum inducit, iisque tunc saepius separatim utitur. At si aspere conjunctas litteras Miltonius improbat, nonnullas vocales docto Masson auctore[1], ut litteram *a* in verbis *sovran* et *harald* pro *sovereign* et *herald*, vocabulorumque figuras *sprung* et *sung* pro *sprang* et *sang* ceteris anteponit atque ita, quod ad vocales attinet, Italorum exempla sequitur.

Facile igitur intellegi potest cur plurima apud eum verba ἅπαξ λεγόμενα esse videantur, ut haec : *church* (P. L. IV, 193), *accessible* (P. L. IV, 546), *advantageous* (P. L. II, 363), *contagious* (P. L. IX, 1036), *courageous* (P. L. IV, 920), *undesirable* (P. L. IX, 824), *unsuccessful* (P. L. X, 35). Pauca enim si adjectiva nomina sunt quae exitu *-geous* vel *-gious* desinunt, verisimile est hujus sibilum auribus poetae nostri displicuisse. Huc accedit ut longioribus vocabulis non libenter vates utatur eaque praesertim adhibeat quae vel tres habent syllabas, vel tunc in ore plebis ad tres syllabas cogi poterant.

Nobis quoque haec epica poemata scrutantibus syllabarum coitus quos tam multos ejus in versibus animadvertis saepius ante liquidam consonantem fieri videntur, ex. gr. *murm'ring*, *sev'ral*, *num'rous*, *vi'late*, *hast'ning*, etc., ne aspera litterarum concursione legentes offendantur. Nonnulla denique vel ampliora vel duriora verba vates nonnunquam omittit aliisque mitiore sonitu distinctis

1. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III. pp. 169-70. Vates vero in alio versu (P.R. II, 279), *herald* scribit, sed ob proximum verbum *lark*, ut similis soni iterationem vitet.

utitur, sicut *river-horse* pro graeco vocabulo *hippopotamus* (P. L. VII, 474) ac fortasse *leviathan* (P. L. I, 201; VII, 412) pro *whale* [1].

Quam accurate canoros Miltonius sonos exquirat notabis, si ea verba explores quae duos exitus habere possunt. Videtur enim *dreamed* (P. L. III, 459; V, 31-32; P. R. II, 264) pro *dreamt* ac *froze* pro *frozen* ponere in versu : « the parching air Burns frore, and cold performs the effect of fire » (P. L. II, 594-95), ne duo sibila *(Burns* et *frozen)* continuentur, dum paulo infra (P. L. II, 602) verbum *frozen* adhibet. Simili fortasse de causa, ut asperum vitet sonum, *senteries* ac *ministeries* (P. L. II, 412 et VII, 149) vocabula amplificando scribit. Et cum concordes voces affectet uno in versu (P. L. IX, 824) *sometime* sine littera *s* ob primum sequentis versus verbum *Superior*, et *far-fet* (P. R. II, 40) pro *far-fetched* ante verbum *spoil* usurpat, ac, sicut ipse Masson notavit [2], verbum *voutsafe* (ex gr. P. L. II, 332; V, 365; XI, 318) pro *vouchsafe*, *strook* (P. L. II, 165; VI, 863) pro *struck* [3] (at in versu P. R. III, 146 *struck*, ne sonus *oo* eodem in decasyllabo iteretur) et haec locorum nomina [4] : *Siloa* (P. L. I, 11) pro *Shiloah* (Esaias, cap. VIII, v. 6), *Basan* pro *Bashan* (P. L. I, 398), *Hesebon* (P. L. I, 408) pro *Heshbon* et *Sittim* (P. L. I, 413) pro *Shittim* scribit. Sic quoque nonnunquam leniores voces *amerced* (P. L. I, 609) pro *deprived*, *libbard* (P. L. VII, 467) pro *leopard*, *emmet* (P. L. VII, 485) pro *ant* et *foughten* pro *fought* in versu : « Victor and vanquished. On the foughten field » (P. L. VI, 410) eligit ac fere semper poeta, quotiescumque vetustiora adhibet vocabula, non obsoletae sermonis rationi sed versuum dulcedini favet.

Nec sibi Miltonius minus constat, si de verbis conjunctis epico in pentametro agitur. Asperos enim sonos cum in singulis tum in connexis vocabulis aversatur. Hiatus vero rei metricae Anglorum non repugnant (quod nonnulli, et praesertim ipse G. Conway, deploraverunt) neque auribus legentium, tonis hac in lingua tam

1. *Whale* enim uno in loco (P.L. VII, 391) invenitur sicut et *crocodile* (P.L. VII, 474) quod *river-dragon* (P.L. XII, 191) alio in loco redditur.

2. Cf. D. Masson, op. cit., vol. III, p. 170.

3. Cf. ibid., p. 173.

4. Cf. ibid., p. 171.

fortiter valentibus, eidem atque in alia lingua taedio esse possunt, cum fere nunquam inter duas tenore distinctas syllabas fiant. Attamen, etsi hos adhibere poetis licet, Paradisi Amissi scriptor cavet ne absonae vocalium concursiones ex hiatu oriantur. Rarius enim duos hiatus uno in versu accipit, quorum undecim tantum exempla in tertio libro (P. L. III, 3, 33, 270, 440, 521, 584, 636, 645, 658, 683, 703) prioris epici poematis inter 742 decasyllabos, novem in septimo libro (P. L. VII, 39, 48, 170, 172, 256, 524, 527, 560, 633) inter 640 et tredecim exempla in tertio Paradisi Recuperati libro (P. R. III, 46, 69, 88, 107, 152, 199, 212, 229, 248, 308, 347, 360, 365) inter 443 pentametros invenimus. Hiatum vero inter duas vocales tonis distinctas sed nulla caesura separatas (ex. gr. P. L. VI, 721) rarissime animadvertes, atque ita vates noster quid incommodi haec poetarum licentia habeat callide dissimulat.

Similia quoque de aspera consonantium concursione dicere licet. Continua enim sibila ut in verbis *Sion's songs* (P. R. IV, 347) vel *Moab's sons* (P. L. I, 406) non saepe his in epicis poematis videbis, neque duros aliarum litterarum concursus ut *sad drops* (P. L. IX, 1002), *run not* (P. R. I, 441), *reign not* (P. R. III, 215) vel duas aspirationes ut in vocabulis *he her met* (P. L. IX, 849), cum ubique Miltonius lenibus sonis praecipue studeat.

Huc accedit, etsi res fortasse levius momentum ad canoros efficiendos versus affert, ut monosyllaba, quibus tamen anglica lingua abundat, poeta quantum potest uno in versu continua vitet. Hujusmodi enim decasyllabos e decem verbis constantes non plures 25, exempli gratia, octavo in libro Paradisi Amissi (P. L. VIII, 43, 66, 103, 172, 206, 210, 270, 277, 281, 320, 339, 341, 395, 397, 448, 488, 499, 521, 525, 549, 578, 612, 613, 629, 640) inter 653 versus et 24 primo in libro Paradisi Recuperati (P. R. I, 39, 60, 66, 153, 207, 246, 252, 271, 276, 286, 299, 321, 322[1], 327, 343, 366, 377, 399, 404, 446, 459, 473, 478, 484) inter 502 pentametros reperies. Quibus in locis majoris momenti vocabula collocatione ita eminent ut fracti versus fastidium submoveant, ex. gr. « Próud, art

1. Rarius vero, ut hic, duo continui versus e monosyllabis constant. Cf. quoque P.R. III, 223-24.

thou mét? Thy hópe/wás to have reáched » (P. L. VI, 131 et cf. P. L. I, 637; III, 174, 341; X, 770; P. R. II, 383). Saepius tamen disyllabam vocem epico in pentametro notabis quae et in sententia maximi ponderis est, ex. gr. « descent and fall To us is adverse. Who but felt of late » (P. L. II, 76-77 et cf. P. L. IV, 299; VII, 171; XI, 36, 626-27; P. R. III, 426). Quod ad versus attinet e polysyllabis tantum constantes, omnium rarissimi videntur, ut hic : « Unrespited, unpitied, unreprieved » (P. L. II, 185 et cf. P. L. III, 373; V, 245, 622, 899; P. R. II, 138, 446; III, 131, 429)[1]. Plerumque vero unum saltem polysyllabum cui alia verba subjiciuntur et ad quod monosyllaba quodam modo ducunt epico in pentametro reperis, ex. gr. « For lying is thy sustenance, thy food » (P. R. I, 429, et cf. P. L. II, 138, 373; V, 888; VII, 436; IX, 861; P. R. IV, 399). Sic igitur vocabulorum usu, ut ceteris rei metricae opibus, poeta feliciter uno tenore fluentem versum evitat.

Eodem modo tonis in decasyllabo dispertiendis utitur. Cum vel initio metri motum iambicum more suo vel post caesuram trochaeo interrumpit numero nihil damni affert, at contra forti syllaba novam sententiam incipit et amplificat. Idem quoque de tonis constat quorum vices suo in pentametro variat cum saepius apud eum validus tonus tonis levibus inseratur quorum propinquitate eo magis eminet. Hoc enim modo sonus gradatim in versu crescit, quem Miltonius nonnunquam auget, cum legentem cogit in polysyllabo haerere quod interspiratio sequitur, ut in pentametro : « Or come I less conspicuous,//or what change » (P. L. X, 107 et cf. P. L. II, 707; IV, 606; IX, 249-50; P. R. II, 434; IV, 579). Nisi vero peculiarem ob causam tonos una in parte decasyllabi congerat, fortiorem tonum vates libenter medio in metro collocat ut vox legentis, anglicae linguae rationi congruenter, usque ad medium versum intendatur atque inde remittatur paulatim.

Quod si singulis in pentametris probatur, et de continuatione serieque versuum constat. Fit enim ut illecebra quorumdam Paradisi Amissi locorum exempli gratia orationum in Pandaemonio

1. Notabis tres inter hos versus (P.L. II, 185; V, 899, et P.R. III, 429) e tribus verbis constare quae particula *un*-incipiunt.

habitarum, non omnino in verborum delectu sita sit, sed alternis validorum leviumque tonorum vicibus augeatur. Adde huc quod syllaba quoque in versu quae inter ceteras eminere debet diverse collocatur interspirationesque variantur quae nunc forti caesura prius vocabulum praestare sinunt, exempli gratia : « Sight hateful, sight tormenting !//Thus these two, Imparadised/in one another's arms, The happier Eden,//shall enjoy their fill Of bliss on bliss ;// while I//to Hell am thrust, etc. (P. L. IV, 505-8 et cf. P. L. II, 163, 194, 249; V, 679-83), nunc tenui intermissione recitantis animae parcunt verbisque aliquid continui aequabilisque praebent, exempli gratia : « I should be much for open war,/O Peers, As not behind in hate,/if what was urged Main reason to persuade immediate war Did not dissuade me most,/and seem to cast Ominous conjecture/on the whole success » (P. L. II, 119-23 et cf. P. L. IX, 867-75; P. R. II, 302-6, 379-82; III, 182-6). Toni enim, cum subjectis caesuris distinguuntur, nervosos canorosque efficiunt Miltonii epicos versus.

Alternum quoque usum notabis caesurarum quae vel initio vel in fine decasyllabi collocantur et saepe e verbis a priore in proximum versum incurrentibus oriuntur. Rarius enim in locis accuratissime a poeta scriptis qui vehementem orationem referunt easdem caesuras continuasque invenies. Sic in hac indignabundi Redemptoris ad Satanam compellatione : « I never liked thy talk,// thy offers less ;//Now both abhor,//since thou hast dared to utter Th'abominable terms,/impious condition.//But I endure the time,/ till which expired/Thou hast permission on me.//It is written./The first of all commandments/Thou shalt worship/The Lord thy God,// and only Him shalt serve, etc. (P. R. IV, 171-77) fere quemque decasyllabum animadvertes interspiratione distingui a priore versusque quorum verba quaedam ad significationem utilia in sequentem pentametrum incurrunt versibus includi in quibus sententia cum metro desinit. Quod ultimum interdum non observatur, cum tres decasyllabos (ut P. L. IX, 1091-94) continuos quorum verba quaedam in proximum incurrunt, ac quatuor (ut P. L. XII, 295-99) et quinque (ut P. R. III, 298-303) reperire possis, pluresque etiam alio in loco (P. L. VI, 240-53). Attamen, nonnulla

si excipias exempla, affirmare licet Miltonium continuos esse versus non adamussim scriptos improbare saepiusque, ut rem metricam variet, ad eosdem adamussim scriptos reverti.

Poeta igitur, qui pauca canoris versibus gratiora, « More grateful than harmonious sound to th'ear » (P. L. VIII, 606) agnoscit, nobis scrutantibus videtur epicos pentametros condidisse tam argutos quia cum scribendi libertate certas in re metrica leges conjunxit. Severe enim absona vitat verba, cum iis nonnunquam vetustiora vocabula anteponat, et rudes litterarum concursiones improbat polysyllabaque adhibendo contra nimium usum monosyllaborum in anglica lingua repugnat. Si vero validiorem tonum caesuramque huic subjectam saepius continuis in pentametris diverse collocat, verbaque ad significationem utilia nunc in sequentem versum incurrere sinit nunc metri fine concludit, metrum semper servat quod decem syllabarum numerum explet, decimam semper syllabam validiori quodam tono distinguit illique fere semper interspirationem subjungit. Neglecto denique tragicorum exemplo, dialogos et cujusque epicorum poematum libri partitiones frequentius integro decasyllabo vel incipit vel desinit. Interdum tamen pentametrum initio orationis divisum invenimus (ex. gr. P. L. II, 968, 990; IV, 724; V, 321, 404; VI, 150, 282; P. R. II, 317; IV, 560), rarius fine orationis (ex. gr. P. L. II, 378, 466; XI, 460, 546, 552; P. R. II, 321), ac fere nunquam initio simul et fine sermonis [1] divisum (ex. gr. P. L. IV, 851-54; XI, 466-77). Quae exempla orationis impetu omnia explanari possunt magnoque aliorum numero valde superantur. Pauci enim scriptores apud Anglos, cum se a multis traditae rationis impedimentis vindicavissent, tam stricte leges certas observaverunt ut poeta noster et e peritorum sententia tam absoluta et perfecta re metrica usi sunt.

1. Docto igitur viro J. A. Symonds assentiri non possumus dicenti : « Like Virgil (Milton) opened his paragraphs in the middle of a line sustaining them through several clauses till they reached their close in another hemistich at the distance of some 1/2 dozen carefully conducted verses » (Fortnightly Rev., July-Dec. 1874, p. 774).

CAPUT DECIMUM

QUOMODO EPICUM VERSUM MILTONIUS REI SUAE FELICITER APTAVERIT

Rationem explorando qua epicos versus Miltonius tam canoros effecerit ipsam rem in poematis parum curavimus. Res vero, ut ille facile videbit qui poetam accuratius leget et varium dicendi genus variis in locis animadvertet, in pentametris scribendis plurimum valuit. Quod e Miltonii verbis, « apt numbers, » quibus numerum rei aptatum intellegere debemus, fortasse concludendum est et sane vatis animo occurrebat cum diceret : « With other notes than to the Orphean lyre I sung of Chaos and eternal Night » (P. L. III, 17-18 et cf. verba « answerable style » in versu P. L. IX, 20) et cum loqueretur de cogitatis ut « thoughts that voluntary move Harmonious numbers » (P. L. III, 38-9). Ambo enim, rem et verba, epos tractando arte sua arcte conjunxit omnesque rei metricae partes ad hoc efficiendum adjuverunt.

Qua de causa, si poetae vocabula scrutamur, ea feliciter esse electa diversis in locis notabimus. Cum enim aliquid Miltonius describere conatur pentameter vividis vocibus abundat. Sic strepitum daemonum qui Redemptori quiescenti incommodant verbis « howled, » « yelled » et « shrieked » gradatim (P. R. IV, 423) legenti fingit, sicut et Bacchantium catervam hoc versu : « that wild rout that tore the Thracian bard » (P. L. VII, 34) ubi verba nonnulla videntur laniare, lenem mortem vocabulis « a gentle wafting » (P. L. XII, 435), ultima sedatae tempestatis murmura vocibus « hoarse cadence » post « The sound of blustering winds » (P. L. II, 286-87) aviumque in Paradiso concentum verbis « vernal airs » quae folia agitando « attune the trembling leaves » (P. L. IV, 264-66).

Quam sonorum imitationem ipsa lingua hic fieri fortasse credas. At cum eandem plurimis in versibus invenias a poeta excogitatam esse recte affirmabis. Simili enim modo sonos Miltonius iterando quasi amplificat his in decasyllabis : « I fled and cried out *Death!* Hell trembled at the hideous name, and sighed From all her caves, and back resounded *Death!* (P. L. II, 787-89) vel velocitatem depingit (P. L. VIII, 291), vel enitentem Satanam in pentametris : « So he with difficulty and labour hard Moved on » (P. L. II, 1021-22), vel matutinum tempus (P. L. V, 5-8), vel primam vesperam et noctem (P. L. IV, 598-609). Quibus in locis non fortuita vocabula naturam imitantur, sed callide electa ac disposita.

Miltonii vero si artem in versibus scribendis exquiras, ejus paromoea primum animadvertes quibus varios reddit sonitus ac dulciores efficit decasyllabos. Sic enim in his : « A dismal universal hiss, the sound Of public scorn » (P. L. X, 508-9) sibilantes audimus angues, sicut et plausus alarum in alio (P. L. I, 768), velocem descensum (P. L. IV, 556), vel strepentes apes (P. R. IV, 248). Quae paromoea, si pauciora sunt, non semper ad rem imitandam adjuvant (ex. gr. P. L. II, 902-3 ; P. R. II, 358-59 ; III, 1, 323-24 ; IV, 605). Tunc vero saepius uno in pentametro tria paromoea tribus in verbis reperis (ex. gr. P. L. I, 250[1] ; II, 540, 553, 560 ; III, 73, 296 ; IV, 441 ; V, 646 ; VII, 298 ; VIII, 342 ; X, 1006 ; XI, 489 ; P. R. I, 482 ; III, 278, 398 ; IV, 63, 517) atque interdum etiam duobus in pentametris legenti occurrunt, exempli gratia : « The one seemed woman to the waist and fair, But ended foul in many a scaly fold » (P. L. II, 650-51 et cf. P. L. II, 464-65, 585-86, 772-73 ; III, 606-7 ; VIII, 83-84 ; P. R. I, 160-61 ; II, 257-58). Poeta enim paromoea varie ac perite miscet : nunc duobus utitur nominibus vel adjectivis quae eadem incipiunt littera, sicut in versu : « Dire was the tossing, deep the groan ; Despair/Tended the sick » (P. L. XI, 489-90 et cf. P. L. II, 836, 1021 ; III, 11, 44 ; IV, 511, 888 ; IX, 491 ; P. R. IV, 406), vel nomine cum adjectivo aut verbo, ut in pentametro : « Cocytus named of lamentation loud » (P. L. II, 579 et cf. P. L. II, 174 ; III, 20, 691 ; IV, 293 ; V, 896 ; VII, 286 ; X, 225 ; P. R. II, 257 ; III, 48 ; IV, 561). Non-

1. « Where joy for ever dwells ! Hail, horrors ! hail. »

nunquam quoque duarum litterarum paromoea eodem in decasyllabo accipit, ex. gr. « *S*ufficient to have *s*tood, though *f*ree to *f*all » (P. L. III, 99 et cf. P. L. I, 555; II, 433, 624; IV, 326, 990; VI, 876; IX, 250; P. R. II, 431; III, 268). Auctore docto J. A. Symonds qui hanc rei metricae partem apud poetam nostrum accurate exploravit [1], Miltonius praecipue litteris *f*, *l*, *m*, *r* et *w* favet paromoeaque sua in continuis versibus ita miscet ut ex his totum efficiat quo rem aliquam depingat vel exponat sententiam. Sic enim litteris *d* et *f* utitur ut bellum in caelo describat : « *d*ire was the noise Of conflict; overhea*d* the *d*ismal hiss Of *f*iery *d*arts in *f*laming volleys *f*lew, And, *f*lying, vaulted either host with *f*ire » (P. L. VI, 211-14 et cf. P. L. VII, 285-303; P. R. III, 323-25), describentesque pentametros inter se connectat.

Neque idem vates paromoea neglegit quae vocalibus fiunt. In versu : « But mark what I areed thee now : Avaunt » (P. L. IV, 962) littera *a* ceteras sono superat, sicut et *i* in P. R. IV, 411 (cf. quoque P. R. IV, 248-49) et sonus *ai* in P. R. IV, 198. Similia quoque animadvertes in decasyllabo : « Unrespited, unpitied, unreprieved » (P. L. II, 185 et cf. P. L. III, 231, 373; V, 899; P. R. III, 429 — vide quoque supra, p. 76), ubi vero iteratae verborum particulae fortasse potius quam vocales notandae sunt. Interdum autem nonnullis in pentametris haec vocalium paromoea adhibet vates (ex. gr. P. L. IV, 40-45), sed rarius continuos pentametros invenies quorum extremae vocales, ut fieri solebat in priscis Gallorum heroicis poematis, similiter cadere videntur, ut in hoc loco : « With clamour thence the rapid currents drive Towards the retreating sea their furious tide. Forthwith from out the ark a raven flies » (P. L. XI, 853-55 et vide versus 857-58 ac 860; cf. quoque P. L. I, 612-13). Aliquas denique inter se omnino consonantes versuum clausulas, sed paucissimas, accipit (ex. gr. P. L. II, 220-21 [2]; IV, 24-25, 26-27) vel brevi interjecto intervallo

1. Cf. The Fortnightly Review (July-Dec. 1874, p. 776, etc.), ubi de re metrica Miltonii doctus vir J. A Symonds tractat. Nonnulla ab illo scripto exempla mutuati sumus.

2. « This horror will grow mild, this darkness light;
Besides what hope the never-ending flight
Of future days may bring. »

separatas (ex. gr. P. L. I, 146, 148 et 151), quod faciendo poeta fortasse metri sonum auget.

Simili quoque scribendi ratione vel ipsa verba vel alio in verbo dimidium verbi iterat, ut in decasyllabo : « Sole *part*ner and sole *part* of all these joys » (P. L. IV, 411 et cf. P. L. II, 995-96; IV, 852; VI, 656; P. R. III, 387-88; IV, 434, 597). Eodem modo callide vocum iteratione legentis animum permovet, exempli gratia cum Mortis nomen in inferis primum profertur (P. L. II, 787-89) vel cum repetitur vocabulum, ut verba *foreknow* et *foreknowledge* (P. L. III, 117-19) *worse* (P. R. III, 205-9) et *glory* (P. R. III, 109-20) [1]. Nonnunquam vero intemperantius similes sonitus vates exquirit, cum epico in poemate quodam modo jocos accipit, ex. gr. « and to begirt th'Almighty Throne Beseeching or besieging » (P. L. V, 868-69 et cf. P. L. VI, 625-27; XI, 627, 756-57; P. R. I, 222; II, 391). Quae jure a litterarum peritis Miltonio objecta, cum rariora sint, excusari possunt, sed quantum sonis in re metrica studuerit sane ostendunt.

Ipsa etiam versuum modulatio ad rem illustrandam adjuvat atque aliquid gravis apud poetam nostrum concinnitas sententiis addit. Canoros enim pentametros Miltonius persequitur, dum verba ac praesertim polysyllaba callide collocat. Nam cum compertum haberet recitantis vocem in fine metri remitti, vates libenter vocabulo longiore cui monosyllabon subjungitur decasyllabum conclusit ut prius verbum eo modo emineret, exempli gratia : « All is not lost — th'unconquerable will, And study of revenge, immortal hate » (P. L. I, 106-7 et cf. P. L. I, 77, 175; II, 88; III, 68; VI, 866; X, 311-13; XII, 455; P. R. IV, 53). Quam verborum collocationem saepius etiam invenies, si nomen plures quam adjectivum syllabas habet, quo fit ut illud longitudine, hoc vero positione ab usitatis dicendi legibus discrepante distinguatur, ut in pentametro : « Save by those shadowy expiations weak » (P. L. XII, 291 et cf. P. L. II, 898; III, 367; IV, 502; V, 290; VI, 193; VII, 267; IX, 35; X, 238; P. R. II, 109; IV, 628). Verbis enim ad nomen adjunctis poeta varie utitur, ut hoc exemplo (P. L.

1. Cf. quoque verba *fallen* et *fall* in versibus (P.L. V, 540-42) et verbum *lost* in alio loco (P.R. I, 377-82)

II, 614-17) apparet. Plerumque autem brevia nomini subjiciuntur, longioraque ante illud collocantur, quo efficitur ut saepius conspicua sint in versu.

Cum vero Miltonius legentis animum vehementer ac repente commovere cupit, forti caesura post callide selectum verbum in quo vox haereat hoc exsequitur. Sic enim in decasyllabis : « Him who disobeys... that day, Cast out from God and blessed vision, falls Into utter darkness, deep engulfed, his place Ordained without redemption, without end » (P. L. V, 611-15) altus seditiosorum angelorum casus futuraque sine spe ulla damnatio plane ostenduntur et quodam modo illustrantur verbis *falls* et *end* in fine pentametrorum qui Dei editum denuntiant. Cum autem non horrenda ac subita describit vates, ante caesuram ampliores voces adhibet, ut *rejoiced* in versu : « Disburdened Heaven rejoiced, and soon repaired Her mural breach » (P. L. VI, 878-79) et in alio *acceptance* (P. L. XI, 457 et cf. P. L. XI, 655 ; P. R. I, 444 ; IV, 181). Ita enim vocabula rei aptat.

Monosyllabis quoque perite utitur ut sententias ornet et declaret. Sic doctus vir Newton cum hos Miltonii versus explanaret : « so eagerly the Fiend O'er bog or steep, through strait, rough, dense or rare, With head, hands, wings or feet pursues his way, And swims, or sinks, or wades, or creeps, or flies » (P. L. II, 947-50) notavit Satanam tam operose iter facientem nullis verbis melius depingi potuisse quam his brevibus quae lente et quodam modo ab anhelante proferenda sunt. Interdum quoque monosyllabon duabus interspirationibus inclusum eminere sinit, ut in decasyllabo : « Or potent tongue.//Fool !//not to think how vain » (P. L. VI, 135 et cf. P. L. II, 810 ; III, 171 ; XI, 515 ; P. R. IV, 562). Etsi vero non semper animum sic commovere conatur, monosyllabis saepius metrum incipit ut vox sane paulatim intendi possit. Similem ob causam et in fine metri ea collocat ut gradatim vox remittatur (ex. gr. P. L. I, 60 [1], 133 ; II, 376, 485 ; IV, 680, 735, 819 ; VI, 159, 745, etc.) ac frequenter et initio et in fine continuorum versuum duo monosyllaba collocat, quibus legentes e priore pentametro in sequentem facile transeant, sicut in his :

1. « The dismal situation waste and wild. »

« only this I know That one Celestial Father gives to all » (P. L. V, 402-3 et cf. P. L. II, 642-3, 981-2; III, 412-3, 724-5; V, 426-7; X, 206-7, 617-8; P. R. I, 407-8, 451-2; III, 249-50, 350-1, etc.). Haec igitur parva vocabula Miltonius scite ac venuste epicis in poematis disponit, ut imperator in acie gregarios milites.

Nec minus callide tonos in decasyllabis collocat. Locos enim tenore adamussim distinctos poeta aliis inserit eodem fere modo ac Shakespearus, cujus in litteris anglicis famam aemulatur, scenis quae animum pellunt amoenas placidasque scenas intexit quibus spectantes componeret. Tunc autem apud Miltonium syllabae quae tonum habent prope eodem ex intervallo in versu ponuntur neque e proximis fortiter prolatae eminent, dum pentametri cum lenitate quadam aequabili profluunt ut quieta narrent vel ostendant (ex. gr. P. L. IV, 450-91; V, 563, etc.; IX, 532, etc.; P. R. II, 368-77; IV, 581-90). Iambicus enim tenor fere nulla interruptus poetica licentia validos animi motus abesse testatur.

Mutatas vero res esse animadvertes, cum vehemente oratione vates utitur. Tunc nomina verbaque canora continuantur fortibusque tonis distincta. Cum Abdiel indignans Satanam his verbis compellat : « Fool ! not to think how vain Against th'Omnipotent to rise in arms; Who, out of smallest things, could without end Have raised incessant armies to defeat Thy folly » (P. L. VI, 135-39), velut classicum cani credas. Cum autem Satanas in Paradiso hominum felicitatem intuitus de suo fato queritur (P. L. IV, 505-20, etc.), cum a vigilibus deprehensus iis fastidiosus respondet (P. L. IV, 828-33) tonus quisque in versu clare auditur magnique videtur esse momenti. Interdum etiam varie in decasyllabo toni collocantur et si nonnullos aliis vehementiores locos (ex. gr. P. L. IX, 867-908; P. R. I, 407-464; IV, 171-194) explorabis, animadvertes frequentiorem ac diversis in pedibus esse trochaeum pro iambo, quod multum ad renovandum metrum adjuvat.

Dum validiores lenioresve toni ad mentis incitationes describendas conferunt, ipsi motus animi, cum vel augentur vel cohibentur, interspirationibus reddi quodam modo possunt. Poeta enim si quietem exprimere cupit, interspirationes omnes, etsi variantur, versum adamussim incidunt ac saepius post integrum

pedem. Tunc quoque verba quaedam ad significationem utilia a priore in sequentem pentametrum ultra incurrunt nec post primum pedem repente desinunt. Quod in orationibus apparet prout in iis angeli aut daemones loquuntur. Satanas igitur, cum se bonum esse angelum simulat (P. L. III, 654-80) accurate fingit sermonem suum cujus caesurae faciles videntur esse ac leves. His enim in poematis notare quodam modo possis ordinem personarum quae post ipsum Deum animi motus et vehementiam crescentem habent. Si locos explorabis ubi rerum omnium Creator sententiam suam aperit atque edicta promulgat (P. L. III, 79-134, 168-216, 274-343; V, 224-45, 600-15, 719-32; VI, 29-55, 680-718; VII, 139-73; X, 34-62; XI, 46-71, 84-125; P. R. I, 130-67), fere nullas post primam vel post nonam syllabam caesuras (praecipue versibus neglectis ubi necessaria monosyllaba, ut *Son* vel *go*, reperiuntur) paucasque post tertiam vel post septimam syllabam animadvertes. Pentametri denique quorum verba quaedam ad significationem utilia in sequentem decasyllabum incurrunt non omnino absunt, sed nunquam inter alios eminent. Dicta enim immutabilis Dei qui nulla vel levissima perturbatione affici potest et in metro majestatis quietisque imaginem praebent neque hic caesurae inopinata novitate legentem percellunt.

Caesurae vero frequentiores atque insigniores fiunt, cum de caelo in terram vel in inferos descenditur. Quod et apud ipsum Dei Filium apparet simul atque humanam induit naturam. Si enim ejus cum Patre colloquia [1] in Paradiso Amisso ex. gr. (P. L. III, 227-65; VI, 723-45; X, 68-84) conferes cum nonnullis ejus acribus responsis in Paradiso Recuperato (ut P. R. I, 407-64; II, 379-91; IV, 171-94, 286-364) hic plures animadvertes uno in versu caesuras ex. gr. (P. R. II, 460; III, 75, 107, 128; IV, 302, 305) vehementioresque pentametros quorum nonnulla verba ad significationem utilia in sequentem pentametrum incurrunt, ut « But to

1. Vide, exempli gratia, hos versus :

« Father Eternal, / thine is to decree;
Mine both in Heaven and Earth / to do thy will
Supreme, / that thou in me, / thy Son beloved,
May'st ever rest well pleased. » (P.L. X, 68-71.)

show forth his goodness, and impart His good communicable to every soul Freely » (P. R. III, 124-26 et cf. P. R. I, 418-19, 444-45, 450-51; III, 130-31; IV, 188-89, 319-20). Quod dilucidius etiam (cum hic animos peccatum miscuerit ac perturbarit) in Adami sermone insontis aut contra culpae conscii notatur. A nono libro usque ad duodecimum Paradisi Amissi ejus in dictis illa insignia reperiuntur quae supra indicavimus : nonnullae uno in versu caesurae ac diverse collocatae, exempli gratia : « O Eve,/in evil hour/ thou didst give ear To that false Worm,/of whomsoever taught To counterfeit Man's voice — true in our fall, False in our promised rising » (P. L. IX, 1067-70, etc. et cf. P. L. X, 867-908), et continuati pentametri qui post primum sequentis versus pedem subito desinunt, ex. gr. (P. L. IX, 1085-86 [1], 1091-92; X, 134-35, 723-24; 734-35, 894-95, 904-5, 958-9, etc.). Quae si non valentia exempla esse videantur, sufficit sermones seditiosorum angelorum scrutari ac presertim ipsius Satanae secum solo loquentis ex. gr. (P. L. IV, 32-113, 358-92; IX, 99-178, 473-93) neque alium quemdam sermone decipientis, ut pateat quomodo caesuris ad animi motus imitandos Miltonius utatur.

Ambobus igitur in epicis poematis omnes metri partes ad rem declarandam adjuvant. Callide enim selectis verbis paromoeisque vates sonos adhibendo sententias quodam modo illustrat versibusque suis et majestatem et varietatem addit. Intermissiones enim levioresque toni si placidis prosint scenis, toni validiores fortesque caesurae perturbationes magnas exprimunt. Quibus conjunctis fit ut poeta decasyllabum non tanquam inane rei ornamentum existimet sed potius, dummodo ita dici liceat, tanquam corpus spirans quod animam, id est praeclara scriptoris excogitata, egregie manifestet. Res denique ac versus apud eum tam plane cohaerent ut quod res menti fingendum suppeditet versus ipsis sonis audienti interpretetur.

1. « In solitude live savage, in some glade Obscured. »

CONCLUSIO

Epica Miltonii poemata perscrutati ejus in re metrica immotum aliquid invenimus. Heroicus enim Paradisi Amissi Paradisique Recuperati versus semper e decem solum syllabis constat quae computandae sint. Quas inter syllabas quinque saltem, ac plures interdum, leviore vel validiore tono distinguuntur, et decima semper tenorem habet. Exceptis denique paucioribus pentametris quos fortasse neglegentia quadam vates accepit, decasyllabum quemque ab aliis intermissio vel caesura separat. Hoc igitur metro quod eundem syllabarum numerum diligenter explet certamque observat accentuum legem fit ut Miltonii epos scribatur adamussim.

Alia vero apud eum varie adhibita notavimus, quibus versum semper unum et eundem vitaret. Scimus enim, ne loquamur de sex pluribusque tonis qui rarius reperiuntur, poetam duos trochaeos, nonnunquam continuos, ac rarissime tres sejunctos in decasyllabum inducere adventitiaque uti syllaba quae in fine metri vel ante caesuram, tragicorum more, in numerum non refertur. Interspirationibus autem rem metricam variat dum post diversas syllabas eas collocat caesurasque intermissionibus miscet. Huic adde pentametros quorum verba quaedam ad significationem utilia in sequentem pentametrum incurrunt, quibus ita Miltonius utitur ut nonnulla vocabula clare emineant longioresque poematum loci gravitatis et elationis aliquid ostendant.

Epici igitur nostri poetae versus ipsa natura et legibus cum priorum tragicorum decasyllabis congruunt quorum clausulae simili sonitu carent et, quamvis anglici existimatores rei non assentiantur, iidem sunt atque heroici priscorum Gallorum versus Italorumque hendecasyllabi. Miltonius autem horum secutus

exemplum multas sinit coire vocales ac saepe trochaeis utitur pro iambis, etsi nunquam suis in poematis trisyllabos pedes excipit, et sic, quantum fieri potest, aequabiliorem in decasyllabo tenorem iamborum variandum curat.

Cum autem apud alios scriptores has rei metricae leges ac facultates invenias, apud hunc praecipue tam numerosos observabis versus. Quod omnibus metri partibus fit, cum accentus, interspirationes verbaque accurate selecta et callide pedibus dispertita atque instructa multum hoc ad efficiendum adjuvent. Ipsam quoque poematum rem vocabula ordoque sonorum illustrant. Paromoea enim variaeque caesurae et voces ad significationem utiles quae in sequentem pentametrum incurrunt cunctas a vate descriptas res recitantis auribus quodam modo fingunt neque insignitius fortasse Miltonii praestans ingenium elucet quam canoro decasyllabi usu epicis in poematis.

Qua vatis arte effectum est ut, neglecta fere prioris aevi tragicorum re metrica, posteri scriptores, inter quos nuncupare licet egregios Th. Otway, J. Thomson, Ed. Young, W. Cowper, praesertim de versu Miltonii exemplum caperent. Shakespeari enim scenicus pentameter cum incertior saepius videretur, quamvis ad fabulam agendam bene aptaretur, difficiliter aliis erat imitandus. Hunc autem pentametrum poeta noster, nimiam priscorum licentiam cum repudiaret, feliciter adhibuit, scriptoribusque futuris utendum reliquit metrum quod, cum et certas observaret leges et flexibile tamen esset, in egregiam rem optime tractandam instruebatur. Litterarum quoque periti apud Anglos, qui nuper, introductis in decasyllabum trisyllabis pedibus, longe a tradita metri ratione discesserunt, Miltonii exemplo edocti, cujus epici versus tam omnibus numeris absoluti videntur, ad meliora certioraque principia forsitan reverti possint.

VIDI AC PERLEGI
Lutetiae Parisiorum in Sorbona
a. d. IV non. Jul. ann. MDCCCCI
Facultatis litterarum in Universitate
Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

TYPIS MANDETUR :
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

De Epico apud Joannem Miltonium Versu

IMP. OBERTHUR, RENNES (598-01)